1. 5.

Altiſsimi Regimine.

PERVIGILIUM MEDICUM,

QVÔ

ΑΓΡΥΠΝΊΑ

& qvævis adeò VIGILIÆ

è totâ qvaſi Medicinæ œconomiâ

discuti-bantur:

DISPUTATIONIS PUBLICÆ INAUGURALIS

vicem,

Authoritate Gratioſi COLLEGII MEDICI

in Acad. Philureâ celeberrimâ,

Pro conſeqvendis ſummis in arte Medicâ

Honoribus & Privilegiis DOCTORALIBUS

PP. à

M. ANDREA RIVINO Halis-Saxone, Medicinæ Licentiato, C.P.Cæſ.
& ejusdem artis Profesſore P. Collegii Principis Salariato, & Univerſitatis Lipſ. p. t. Præpoſito Magno.



In ipſo promotionis actu, qvi in æde Paulina ſolenniter moreq́; majorum celebrabatur
d. IV. Aprilis, Æra Chriſtianâ ∞ I ɔ c XLIV.

LIPSIÆ excudit Timotheus Hönius.

Reverendiſſimo, Illuſtriſſimo, Celſiſſimóq;

PRINCIPI ac DOMINO,

DN° AUGUSTO,

Poſtulato Archiepiſcopo Magdeburgico Primati Germaniæ, Duci Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, nec non ſuperioris & inferioris Luſatiæ, Comiti in Marcâ & Ravensburg, Domino in Ravenſtein &c.

Domino & Tutano ſuo Clementiſſimo, Literatorúmq; omnium aſylo & Nutricio benigniſſimo,

DISPUTATIONEM HANC INAUGURALEM

D. D. D. C. Q.

Subjectiſſ.

AUCTOR.

ROma ſub AUGUSTO ad cunas reqvieſcere CHRISTI
Viſa diu, Jano clauſit ut ille fores.
Dreſda ſub AUGUSTO proavo revireſcere cœpit,
Qvum pacem regio relligióq; tulit.
Halla ſub AUGUSTO qvoqve Te ſic ſurgere ſperat
Præſule, ſi qva qvies hanc refovere qveat.
Nec robuſtus enim ſtatus Orbi immittitur, huc ni
Venerit AUGUSTUS, cuncta qvod ora ſonant.
Tertius è cælo cecidit Cato, teſte Poëtâ:
Tertius AUGUSTUS tendit ad aſtra iterùm.
Unde ſed AUGUSTIS hæc propria gloria ſolis?
Scilicet à doctis, qvos coluére, viris.
Extulit AUGUSTO hoc ſed nemo auguſtiùs illos,
Sicut EREMICOLA id CARPZOVIUS Q. probant.
Et PUTEANUS idem, TIMÆUS aitq; VIETOR
Cúmq; OLEA NIETNER túmq; AGRIORNIS ovans.
Qvi Duce Te precibus, libris, populiq; qvieti
Semper ut invigilant, opto, diu ut vigilent.
Atqve hoc intendit mea lucubratio votô:
Auguſtè AUGUSTUS ſopiat omne malum.

Qvum vel nunqvam ferè Medici, vel rarenter admodum ad pervigilantes nocturnos advocentur; haud injuſtè

Qværitur:

An falsò dixerit, fruſtrave duxerit HIPPOCRATES vigiliam qvoqve, ſi modum exceſſerit, non minùs atq; ſomnum immodicum, malum. *Aphor.3.l.2.* Aut ſi qvid periculi funeſti inde qvoq; immineat, an & qvomodo ſit curabile?

ΠΡΟΑΥΛΙΟΝ *ſeu intentionis adumbratio.*

QVamvis ea demum vita vera vita putanda ſit, qvæ pro gloriâ DEI, communi bonô, ſalute proximi & propriâ minimè oſcitanter excubet, & veluti mera ſit vigilia; ſicuti viciſſim ſomnus perpetuus & penè ferreus mors revera exiſtimatur, ita ut pro qvaſi mortuo, civiliter ſaltem, is habeatur, qvi vitam ſilentio tranſigat veluti pecora, aut ſomnolentè cuncta ſupinéq; tractet, uni glebæ ſuæ & qvalibuscunq; bonis aſſiduè affixus, & in utramq; aurem ſecurè indormiens. Attamen cùm neutrum ſine alterius viciſſitudinaria ſucceſſione, vicariâq; ſubſtitutione ſubſiſtere poſſe intelligatur, neq; vigiliam ſine ſomno, neq; ſomnum ſine vigiliis; prout ſecundùm NASONEM,

Qvod caret alterna (non æternâ) *reqvie, durabile non eſt,*
Attenuantq; hominum vigilatæ corpora noctes:

Itaqve temperatura illa & mediocritatis ſtatus ſervari ut valeat, ne altrinſecus vacillet, caſumve ab eâ, qvâ minimè ſperes, parte attrahat, ſummoperè allaborandum eſt.

Qvumq; mihi iſtud qvoqve dictum crederem, qvod juxta SERVIUM Romani qvondam inſtante bello & in tumultu motis ſignis & armis inclamare ſolebant M. A. R. S. VIGILA.

Ου χρὴ παννύχιον Μουσῶν θεράποντα καθεύδειν,
Ωι βίβλοι τ' ἐπιτετράφαται σοφίητε μέμηλε.
Non debet ſomno totas impendere noctes,
Cui libri commiſſi & cui ſapientia curæ eſt.

Veluti doctiſſimus OPPIANI Commentator C. RITTERSHUSIUS ex HOM. Iliad. β. v. 24. eleganti demutatione cenſuit. Qvocirca & ipſe, qvando jam olim aliqvandiu in templo Serapidis Apollinisq; excubaſſem & ſomniaſſem, id mihi negocii exiſtimavi datum, ut nonnihil pro ingenii & judicii modulo in communem uſum elucubrarem, nec veterno me adhuc vivum ſepeliri permitterem, aut temerè Gallum Æſculapio conſecratum crederem. Sed qvia ſubitò & præter opinionem acciderat, ut qvando per ſeſqvimenſem publicâ causâ abfuiſſem, à Collegio interim Medico honoratiſſimo, ad Dominorum Competitorum inſtantiam, Collatio ſummorum in illa arte

 ho-

honorum concluderetur, mihiq; reduci tot ferè ſaltem integri dies ad elaborationem alicujus argumenti, qvot olim Deorum Dearumve pervigiliis ſingulis, concederentur; iccircò & inſcriptionem inde mutuatus & materiam; veniam mereri judicabor, ſi fortean bono cum Homero nonnunqvam viſus fuero in his ipſis tumultuariis & tumultuoſis vigiliis dormitâſſe. Cur verò thema hoc paulò rariùs informandum mihi ſumſerim, *Si vacat, & placiti rationem admittitis, edam* : Anſa fuit, qvod cum PLATO 3. de Rep. p. 624. medicos præſtantes evaſuros prædixisſet, εἰ ἐκ παίδων ἀρξάμενοι, πρὸς τῷ μανθάνειν τὴν τέχνην, ὡς πλείστοις τε καὶ πονηροτάτοις σώμασιν ὁμιλήσειαν, καὶ αὐτοὶ πάσας νόσους κάμοιεν, καὶ εἶεν μὴ πάνυ ὑγιεινοὶ φύσει : atq; hinc egomet alioqvin à teneris qvaſi annis ſtudium Medicum vel propriæ qvoq; ſanitatis gratiâ exoſculatus eſſem, nocturnis autem ob cauſam domeſticam lectionibus & meditationibus inſomniam mihi paulatim invitavisſem, ceu conſvetudo in naturam qvodammodò tranſire ſolet; qvem affectum ætas deinde provectior, connubium, curæ, bella, cerebrum ſiccius & bilis qvoq; non imminuisſent, ſed auxisſent indies: Qvare qvi pridem pro Licentiâ asſumendi gradum Doctoralem in arte Medicâ librum *HIPPOCR. de inſomniis*, publicis prælectionibus interpretatus esſem, jam *de inſomniâ*, ſeu adeò *inſomnietate* agere conſtitui, vel eam ipſam ob cauſam, qvod non valdè trita illa ſit Medicis hodiernis, & tantùm non neglecta. Cùm olim ſeciùs illa tractaretur, ita ut non modò *Archiater Aphoriſmo in arenam producto* mala multa, mortemq; adeò alibi ex immodicis Vigiliis prædixerit; ſed & GALENUS, altera Medicinæ Pharos, ad eundem locum hoc annotatum reliqverit, qvòd nonnulli ex ſui temporis Profesſoribus Medicinæ exiſtimârint qvidem Vigiliam, modum excedentem, malum eſſe & ſignum & cauſam; non tamen ſomnum qvoqve, ſed hunc ſemper bonum esſe & ſignũ & cauſam. Id hodiè inverſum penitùs videas, qvando plures de Lethargo, Caro, Cataphorâ, ſeu Comate, eoq; vel veternoſo, vel phrenitico, item de Catoche ſeu Catalepſi atq; ſimilibus ſomnolentis affectibus disputârint ſæpiùs; ſed nemo ferè inventus, qvi Vigiliis invigilârit, earúmq; incommoda & remedia in publicam disſertationem traxerit, cùm tamen nociva admodùm ſit affectio, ſeu ſolitaria illa ſit, ſeu aliis qvoq; gravioribus complicata Nam & per ſe Vigiliæ nimiæ magnum malum & multorum pejorum morborum cauſa, veluti maniæ, melancholiæ, paraphroſynes, febris acutæ, hecticæ, & interdum Cachexiæ; ſed & plurimis affectibus, ut hypochondriacis, hydropi, acutis præſertim, ut febribus ardentibus, phrenitidi, dyſenteriæ, phlegmoni, pnevmoniæ, cancroſæ inflammationi, aliisq; tam periculosè commixtum eſt ſymptoma, ut non rarò potior cura esſe debeat tam urgentis accidentis, qvàm ipſius principalis affectûs, ceu poſteà pluribus patebit, uti & iſtud: qvo modo pervigiliis ſimplicibus excedentibus ſpirituum atqve humorum benignorum pars magna disſipetur, carnes colliqventur, corpus ad talem ſiccitatem irreparabilem, melancholiam ac inſaniam deducatur, cruditatibus repleatur, & hinc obſtructionibus involvatur, ſenium acceleretur, totumq; ſyſtema ex humorum imperfectâ coctione & acrimoniâ morbis obnoxium reddatur mortiq; faciliùs mancipetur. Sed misſâ præfatione verboſâ, *Medicina Autbore Benedicente*, ipſam rem aggrediamur. Eſto igitur nunc

THESIS I.

ARETÆUS Cappadox inter antiqvos, ante Æginetam & Aëtium adhuc, longè doctisſimus & verè virtuoſus Medicus, Hippocraticæq; brevitatis & gravitatis (juxta CASTELLANUM α) æmulus, cùm alibi (β) Aphoriſmum noſtrum ita commentatus eſt: ὕπνος πουλὺς κακὸν δὲ καὶ ἀϋπνίη. Πολὺς μὲν γὰρ ναρκᾷ τὰς αἰσθήσιας τῆς κεφαλῆς. Ἀτμῶν πλημμύρα ὄκνος ἁπάσης πρήξιος, τάδε μέντοι βαρέος καὶ ἤχων καὶ μαρμαρυγῶν (ἐστὶν) αἰτία, τῆς νούσου τὰ ξύμβολα. Ἀγρυπνίη δὲ ἄπεπτον, ἄτροφον, καματηρόν, τῷ σκήνεϊ ἄθυμον, εὐπαράγωγος ἡ γνώμη· διὰ τάδε ῥηϊδίως μαίνονται, καὶ μελαγχολέουσιν οἵδε. h.e. *GEORG. HENISCHIO* (γ) *interprete:* Somnus multus æqvè atqve inſomnietas inimica ſunt, multus enim ſomnus ſtuporem capitis ſenſibus injicit: vaporum exuberantiâ torpet omnis actio. Hi planè gravitatis & ſonorum in auribus, & ſplendorum qvorundam oculis obverſantium cauſæ, morbi verò indicia ſunt. Vigilia verò cruditatem facit, alimentum ſubtrahit, laborem affert, corpus contriſtat, mentem labefactat: propterea facilè furere, atq; atrâ bile vexari iſti conſveverunt.

(α) Petrus Caſtellanus de vitis illuſtr. medicor. p. 103. (β) Aretæus de curat. diuturn. lib. 1. c. 3. (γ) J. Heniſch. Medicus Auguſtanus in verſione Aretæi p. 222.

§. II. Tùm verò idem optimus aretalogus, qvando alibi (δ) divinæ ſcientiæ cupiditate afflatos, multa corpore perferre, cibi tenuis miniméq; varii parſimoniâ, atqve vigiliis (ὀλιγοσιτίη δὲ καὶ ἀγρυπνίη) literatisq; meditationibus macerari, atq; inde ventriculi aliisq; morbis affligi, & in juventâ ſeneſcere, eosq; pædias amore non à patriâ modò & parentibus atqve fratribus, ſed & à ſemetipſis ad mortem usqve abstrahi docuisſet; argutè inter alia ſubdidit: Οἷσι λιμὸς ἐστὶ ἡ τροφὴ, καὶ ὕδωρ ποτὸν καὶ ἐν ὕπνῳ ἀϋπνίη. *famem*, inqviens, illos *pro cibo* habere, *aqvam pro potu*, & *vel dormientes qvoq; vigilare* (non verò, ut alii transtulére, vigilantes ſomniare.) Qvo ipſo qvidem non κῶμα iſtud ἄγρυπνον vigilantemq; dormitionem phreniticam, ſed veræ ἀγρυπνίης *affectum* periculoſum, ejus *ſubjectum*, cerebrum variis modis ſtudiisq; exſuccum, & *cauſas tam externas*, inediam, ſitim, μελεδώνην λόγων τε καὶ πρηγμάτων σοφῶν, & nec in ſomno feriantes curas, prætermisſas item ambulationes & alia corporis exercitia; *qvàm internas qvoqve*, conſeqventem inflammationem & ariditatem

ma-

macilentam : *prognoſtica* qvoqve ſenii præmaturi & mortis ante diem approperantis indicavit.

(δ) Aretæus lib. 1. de ſign. diutur. c. 6. vid. & Nobiliſs. Barthius adv. l. 41. c. 25.

§. III. Hæc tam ἀγρίη ἀγρυπνία & efferata beſtia, ceu Draco ille vigil Jaſonis Medeæve offâ, h. e. medici curâ ſopienda, vel ipſo ſe nomine, ſoricino qvaſi indicio, qvî ſit venanda, prodit. Vel enim ἀγρυπνεῖν eſt *ſomnum captivum tenere*, (ε) aut ἀγρεύειν ὕπνον *captare ſomnum*, (ζ) aut esſe ἄϋπνον, ut per pleonaſmum γρ. intruſa (η) euphoniæ cauſâ credantur. Niſi qvis ab eodem occulto licèt fonte dimanâsſe putet ἀγρυπνίαν & *ægrimoniam*, cùm ob morbum moleſtum ægrè dormitur. Tametſi namqve ſimplex apud Græcos vix occurrat vocula primitiva, in compoſito tamen remanſit ἀνιγρὸς *moleſtus*, *contriſtans*, *pernicioſus*, unde *æger* nonnullis deducitur; & hinc qvoqve ἀγριαίνειν, *ægrè moleſtéq; ferre*, *exaſperare*, contrarium τῷ ἰαίνειν, *exhilarare*, unde qvidem fluxit, & ab alio principio, à qvo ἀγριέες, *moleſtiæ* ſunt & *triſtitiæ*.

(ε) Mat. Martin. Lex. philol. (ζ) Antholog. Græc. Epigr. (η) Marcus Muſurus Etymol. magno, aliiq; Etymologi Græci.

§. IV. Arabes, poſt Græcos optimi Medici, *Al ſahara* vigiliam hanc ſuperfluam præternaturalem vernaculâ barbarâq; voce nuncupârunt, veluti AN. BELLUNENSIS apud filium Sinæ (θ) interpretatur: alii, ut HEURNIUS & CAPIVACCIUS (ι) abjecto articulo Arabico *Sahara* vel *Zaara* illis dici voluerunt, ſed malè apud HERC. SAXONIAM *Saraha*, apud FORESTUM pejus adhuc *Sabara* legitur appellitatum. Iſtud verò *Sahara* fortean ab Hebraico שָׁקַד, qvod idem esſe ajunt, atqve ἀγρυπνεῖν, & *in vigilando perſeverare*, duxeris: vel etiam ab altero עֵר vel עוּר, qvod *pervigilare* qvoqve denotet: Qvin & ab utroqve junctim, ad multiplicatas vigilias exprimendas, manâsſe alicui videri posſet.

(θ) An. Alpagus Bell. Medicus Philoſophus ſyllabo Arabico-Latino ad Avicennam (ι) Joann. Heurnius, Hier. Capivaccius & Petr. Foreſtus de capitis affectibus, ut & Hercules Sax. prælect. practic. part. I c. 10.

§. V. Romani, ne *inſomnia* ſeu viſiones in ſomnis, cùm ſomni ipſius immunitate confunderent, *inſomniâ* qvidem uſi, ſed haud adeò freqventer fuerunt, licèt qvàm proximè propriéq; ἀϋπνίαν Græcorum, (ut eſt qvoqve in GLOSS.) referret; niſi qvod CÆCILIUS (κ) è Medicorum diſciplinâ dixisſet: *Conſeqvitur comes inſomnia, ea porrò inſaniam*

niam affert. Qvamobrem Plinius Valerianus (λ) *inſomnietatem* maluit nuncupare. Medicorum verò Cicero, Corn. Celsus (μ) *nocturnas vigilias ἀγρυπνίαν* Hippocratis, (ν) qvem ferè ſemper exprimit, reddidit. Coelius Aurelianus (ξ) *vigilias juges*, ſeu *aſſiduas*, alii Medici *perpetuas*, vel ſaltem *multas, nimias, excedentes, ſuperfluas, importunas, contumaces & morboſas*, item *vigiliarum inſtantiam* indigitârunt. Antiqvè *fraxationem* è Festo vocaveris, qvando qvis vigiliis frangitur.

(κ) Cæc. Plotiô apud Nonium. (λ) Plin. Val. c. 5. l. 5. citante C. Barthio l. 11. Adverſ. c. 8. (μ) C. Celſus c. 1. l. 2. (ν) Hippocr. aph. 24. & 3 1. l. 3. (ξ) Cæl. Aurelianus 1. ox. c. 11.

§. VI. J. Argenterius (ο) ut vigilia naturalis à præternaturali poſſit diſcerni, illam γρηγόρησιν Græcorum rectè *vigiliam* Latinè, hanc ἀγρυπνίαν *vigilantiam* meliùs, malè verò & hanc qvoqve vigiliam cum magno errore & confuſione appellari cenſuit. Qvaſi verò Medici, licèt in Imperatores qvodammodò ipſos vitæ habeant necisq; imperium, (Plinio qvoqve indice & judice ϖ) voces etiam, qvod nec ipſis Imperatoribus dabatur, civitate poſſint donare & uſu peculiari, ac non potiùs receptis & ipſi cogantur gaudere; præſertim cùm & illa Græcorum vocabula inverſo potiùs ordine, prius qvidem vigilantiam, poſterius vigiliam ſignificent. Qvod ſi tanta permitteretur licentia, *vigilaciam* potiùs, qvàm *vigilantiam* dicere debuiſſet, hæc enim (etiam horribilis, ut iſta Cæſaris apud M. Tullium ϱ) virtus eſt, at illa vitium & morbus. Licitè omninò *vigilax affectus* poſſet ſalutari, ceu hirundo apud Ausonium (σ) hoc meruit tituli.

(ο) Joann. Argenterius l. 1. de ſomno & vigil. c. 11. p. 1999. (ϖ) Plin. l. 29. H. N. c. 1. & Caſſiodor. l. 6. var. Ep. (ϱ) Cicero ad Atticum. (σ) Auſonius in Ephemeridis ingreſſu.

§. VII. Qvid prohibet autem, qvò minùs *pervigilium* cum Plinio (τ) & aliis qvàm rectiſſimè nominetur? Qvando Græcis qvoqve παννυχὶς, παννυχισμὸς καὶ ἡ διὰ νυκτὸς ἀγρυπνία *pervigilium* reddatur, (υ) atqve ita qvoqve Gloſſarium Cyrilli (β) emendandum, ubi ἀγρυπνία *vigilium*, qvod aliàs nullibi extat, exponitur. *Pervigilationes* qvoqve *nocturnæ* poſſent è Cicerone (χ) vocitari; qvas ſeqvior ætas *perviglationes* item *viglas* appellavit, & ſic poſteà recens Græcia βίγλας, ut Cl. Salmasius (ψ) obſervavit. Indeq; Hiſpani *velas*, & Galli *veilles* de qvibuscunqve vigiliis uſurpârunt. Sed citumi morbum

bum hunc *Veillement perpetuel*, item *faute de dormir*, & *la peine de veiller & de ne pouvoir repoſer:* Neqve aliter Itali, *la pena d'un vegghiar continuo:* ut & Hiſpani, *El trabaio de velar*, qvi etiam *deſuelo*, & *deſuelar ſe*, qvaſi devigilare dixerunt, **wann man ſich abwacht.**

(τ) Plin.lib.11.c.35. (υ) Glosſæ Græcolatinæ vet. (φ) Glofs.Cyrilli V.Barthius l.42. Adv.c.6. (χ) Cic. de Legibus. (ψ) Claudius Salmaſius ad pervigilium Veneris & ad Hiſtor. Auguſtam.

§. VIII. Atqve hinc vigiliam qvamcunqve vacuitatem vel vacationem à ſomno qvaſi conſtricto, aut vim agilem animæ apparitorum ſpirituum, plenamq; externorum ſenſuum ſolutionem & libertatem, asſiduamq; eorundem exercitationem ex continuo motu animalium ſpirituum, reqvieſcere impotentium, vigore nominis deſcripſeris. Et ſic NAZIANZENO *ἐγρήγορσίς ἐστιν ὕπνου λύσις*; Sed AUTHORI DEFINITIONUM (ω) *ἐστὶν ἔντασις ψυχῆς ἀπὸ τῆς ἀρχῆς εἰς πάντα τὰ μέρη καὶ τὰ μόρια τοῦ σώματος.* Vigilia eſt intenſio vehemens animæ, ſeu ſpirituum à principio ſuo in omnes corporis partes atqve particulas. Nam ſicut ſomnus ſecundùm naturam fertur vinculum & copula primi ſenſorii, dependens à reciprocatione caloris & ſpiritûs ad interiora: ita vigilia naturalis eſt remisſio & relaxatio ejusdem ſenſorii, nata ab effuſione facultatis animalis ad exteriora. uti poſtea pluribus.

(ω) Apud Galenum.

§. IX. Miſſa qvippe *Onomatologiâ* & ſecundùm *etyma, ſynonyma*, & qvodammodo qvoq; *homonyma* excuſsâ; *ad Pragmatologiam* tendimus. Non enim usq; adeò accuratè vigiliam ſecundùm & præter naturam, nominetenus ſaltem, diſcriminare licet, imò reapſe qvoq; valde cognata ſunt, ut morboſæ generatio non niſi ab esſentiâ vigiliæ naturalis, authoribus qvidem CAPIVACCIO & FORESTO (a) qveat intelligi, qvæ invicem non aliter diſtant, qvàm qvod una intra terminos ſuos ſe contineat, altera eosdem migret. Qvocirca *ad rem!* in qvam præſentem rectâ ut deveniamus, eamq; remotis omnibus ambagibus perveſtigemus & diſcernamus, paulò altiùs *ab ipſis usqve medicinæ primordiis & latifundiis illam ſumus repetituri*, ut eò deinde meliùs regiâ, qvod ajunt, viâ progredi valeamus.

(a) Capivaccius lib.1. de capitis aff. c.19. Foreſtus Scholiis ad obſerv.35.l.x. de cerebri morbis.

§. X. Qvum hominem Natura benigna alioqvi mater valdè imbellem & imbecillem (ſi cum aliis etiam vix adeò perfectis animali-

bus

bus contendas) corpore pariter animoq; nudiſſimum protrudat in hoc univerſum, cui tamen ipſe ut Rex præeſſe debeat, neceſſitatem illi impoſuit de artibus diſpiciendi, qvibus utramqve partem ſuam contegat, firmet ac muniat. Qvarum qvidem omnium ut & voti cujuscunq; ſumma atqve culmen expetendorum in Medicina ſitum eſt, *ut ſit mens ſana in corpore ſano.* Unde CASSIODORUS (*b*) non minùs ſcitè, qvàm verè: inter utiliſſimas artes, qvas ad ſuſtentandam humanæ fragilitatis indigentiam divina tribuerunt, nulla præſtare videtur aliqvid ſimile, qvàm qvòd poteſt auxiliatrix medicina conferre. Ipſa enim morbo periclitantibus maternâ gratiâ ſemper aſſiſtit: ipſa contra dolores pro noſtrâ imbecillitate confligit: & ibi nos nititur ſublevare, ubi nullæ divitiæ, nulla dignitas poteſt ſubvenire.

(*b*) Caſſiod. Epiſt. var. 19. l. 6. de comitivâ Archiatr.

§. XI. Qvemadmodum igitur Medicus Naturæ qvidem ὑπηρέτης & à ſecretis eſt; ita viciſſim aliis artificibus inſtar capitis eſt. Siqvidem è ſanitate per ſe expetendâ reliqva mortalium bona omnia fluere, & eam, qvâ aliàs pollent, gratiam & dignitatem mutuari ſentiamus; ut cunctæ, qvæ ad vitam victumq; paratæ ſunt artes, edicto illius in omni diſciplinâ CÆSARIS, (*c*) illuſtriſſimæ Medicinæ miniſtræ ſint atqve pediſſeqvæ. Nam qvod aramus, qvod ædificamus, ea omnia ad vitæ finem diriguntur, cujus Magiſter eſt Medicus.

(*c*) J. Cæſar Scaliger lib. 3. de re P. c. 1.

§. XII. Jam verò, ſi GALENO (*d*) definiente ἰατρικὴ τέχνη ὑγιείας μὲν οὔσης φυλακτικὴ, διαφθειρομένης δὲ ἐπανορθωτική, h.e. Medicina ars ſit ſanitatis præſentis conſervatrix, & labefactatæ inſtauratrix, vel ut alibi (*e*) loqvitur, ὑγιείας μὲν τηρητικὴ, νόσων δὲ ἀπαλλακτική, ſanitatis protectrix & morborum expultrix; duæ ſanè principes hujus artis partes erunt ὑγιεινὴ, καὶ θεραπευτικὴ, qvibus aliæ ſecundariæ ſubſerviunt, & illi qvidem præcipuè φυσιολογικὴ, huic verò παθολογική. Cui poſtremæ accenſentur & αἰτιολογικὴ & σημειωτικὴ, ſeu προγνωστική. Et illas qvoqve duas priores *AUTOR Libri de partibus Medicinæ* (*f*) partes med. primas & proprias, has illis ſuperiores ſeu inſtrumentales vocat: Et viciſſim has magis theoricas, illas magis practicas alii ſtatuerunt.

(*d*) Galen. l. de conſtitutione artis. (*e*) idem libro introductorio. (*f*) de partibus medicinæ cap. 7. videatur etiam Galenus 1. de ſanitate c. 1. & ad Thraſybulum de ſanitate cap. 30.

§. XIII.

§. XIII. Qvemadmodum, ex aphoriſmo ARISTOTELIS, (g) Phyſici eſt καὶ περὶ ὑγείας καὶ περὶ νόσου τὰς πρώτας ἰδεῖν ἀρχάς, h.e. & de ſanitate & infirmitate prima cognoſcere principia, adeò ut ubi deſinat Phyſicus, auſpicetur Medicus : ita tamen *particularem* præcipuè *hominis Phyſicam*, uti nonnullis appellatur hæc Medicorum *Phyſiologia*, hîc attendemus, qvæ *res homini naturales contempletur*, cui ſuccedat ὑγιεινὴ, *non-naturales dirigens* & legitimè diſpenſans, tandemq; *præternaturales* ubi primùm *cognoverit* παθολογία, *cauſas perſcrutata fuerit* αἰτιολογία, *indicantia dijudicaverit* σημειωτικὴ, *easdem res contra naturam*, qvantum homini poſſibile, *averruncat* θεραπευτική.

(g) Ariſtoteles lib. 1. de ſenſu, & in principio lib. de ſanit. & morbo.

§. XIV. Signata hæc veſtigia nunc porrò legamus, *præmiſſuri*, ut innuimus, nonnihil adhuc *è Phyſicâ generali, de Somni vigiliæq; naturâ*, qvod per totam deinde tractationem nobis uſui eſſe qveat. Nam ſi ἀγρυπνία vigiliæq; proſcribendæ, ſomnus verò invitandus ſit, neceſſe utiqve erit, ut qvomodo ſomnus vigiliæq; contingant, præcognitum habeamus, eóq; magis operæ pretium feciſſe videbimur, qvo magis implicatum, nec ſatis exploratum eſt, qvî ſomnus fiat. Experientiâ qvippe magiſtrâ edocti ſumus, induci eum pluribus maximéq; differentibus cauſis, ut ipſis qvoqve longis vigiliis, labore, defatigatione, immodicô tùm calore, tùm frigore, nimiâ evacuatione, molli frictione, motu cunarum, murmure aqvarum, cantu, ſilentiô, tenebris, ſolitudine, otiô, lectione non admodùm attentâ, uſu frigidi aut humidi alimenti aut medicamenti, ventriculorum cerebri compreſſione &c. à tàm diverſis adeóq; pugnantibus cauſis idem effectus non videtur poſſe induci mediatè, diſpiciendum igitur qvid ſingulæ efficiant, qvô ſomnus concilietur, hæc proxima erit ſomni cauſa.

(g) Franco Burgersdickius Daduchus olim meus in Acad. Batava Colleg. Phyſ. diſp. 27. è Sennerti Inſtitut. Med. licèt per qvem profeciſſet, diſſimulârit.

§. XV. ARISTOTELES Archiphiloſophus unicam ſomni cauſam ex evaporatione ad cerebrum conſtituit, eò qvòd calorem, è corde cerebrum frigidius petentem, vapores ex alimentis aut aliunde geniti repellant. Qvem GALENUS reprehendens ex ſolâ contractione caloris ad internas partes, nata ob ejusdem diſſolutionem, ſomnum committi putat, eò qvòd exhalationes nervorum initia obſtruant, qvò minùs animales ſpiritus per nervos in ſenſuum motúsq; organa poſ-

ſint influere. Verùm enimverò ARISTOTELI ſcrupulum moveat experientia, qvia compertum eſt in ſomno cerebrum non minùs esſe calidum, qvàm cùm vigilamus. GALENUM redarguit ſubita expergefactio, & multarum partium ac ſæpè totius corporis inter dormiendum motus.

Idem Burgersdic. & Laur. Joubertus decad. I. paradox. 8. de primâ coct. per ſomnum.

§. XVI. HIERON. FRACASTORIUS (*h*) Medicus & Philoſopus Veronenſis egregius ex utroqve cinnum qvaſi facere volens, cauſam ſoporiferam duplicem conſtituit: meatuum obthurationem & ſpirituum reductionem. Qvam ipſam caloris ſive ſpirituum, à Galeno poſitam, revocationem inter alias ſomni cauſas agnovit qvoqve ALENSIS (*i*). Inter Neotericos Medicos Gallos ARGENTERIUS (*k*) ad calidum innatum omnem ſomni occaſionem referens, retractionis ejus ad viſcera cauſam multiplicem esſe voluit: nempe defectum ſubjecti, vel qvòd repellatur calor, aut ad ſuos fontes revocetur. JOUBERTUS (*l*) ſolius qvantitatis ratione fieri exiſtimat, ut ſpiritus ille ceu calor, aliâs intus latitet, aliâs ſeſe proferat & partibus externis abundantior inſit. Qvippe dum maximâ illius copiâ Cor & vaſa majora vicina largiùs abundant, in totum corpus qvaqvaverſum liberè diffunditur: atqve tunc vigilia eſt, externiq; ſenſus functiones ſuas exercent. Cùm verò jam maxima portio ejus, qvod viſceribus erat ſuperfluum, per vigiliam fuerit abſumta, reliqvum à centro nonniſi ægrè recedit, tuncq; ſomnus fit omnium maximè naturalis, per qvem novus parari ſolet commeatus. Ergò tùm temporis ſomnus urget, cùm influens calor paucisſimus neqvit ſenſuum organis ſufficere, ejúsq; minima portio corporis extrema vix pertingit, ſed ut aqvula reſidua in gurgite parvo continetur, nec à fonte ſuo longiùs recedit, dum iterum affluxu alveus exundet, & aliorſum derivetur ac profluat.

(*h*) Fracaſt. l. 2. de intellectu. (*i*) Alexander ab Ales 2. part. qvæſt. 89. membr. 2. (*k*) Argenterius lib. I. de ſomn. & vig. c. II. (*l*) Joubertus loco jam citato fol. 69. & 70.

§. XVII. Qvos omnes (tametſi non nominet, præter Argenterium, qvem inprimis aggresſus eſt) confutare ſategit ſummus ille noſtri ſeculi medicorum, & verè cum alio qvoqvam incomparabilis DAN. SENNERTUS ita (*m*) ſcribens: Qvod calor ex corde influens partibus competat potiùs, qvatenus vivant, qvàm qvatenus ſentiant, ad illas

 qvàm

qvàm proximè neceſſarius, ad has remotè, cùm vicinior ſenſibus adſit ſpiritus animalis; in cujus ipſius defectum utpotè proximi inſtrumenti potiùs, qvàm in caloris influentis denegationem reducendum ſomnum cenſuit. Eos verò, qvi agnoſcant qvidem à ſpirituum è cerebro influentium detentione ſomnum provenire, & tamen univerſalem ſomni cauſam, qvæ ſpirituum animalium influxum prohibeat, vel vapores ſvaves ab alimentis adſcendentes conſtituunt, vel à ſpirituum & caloris revocatione ſomnum fieri ſtatuunt, fruſtrà (inqvit) in aliâ, qvàm qvæ propoſita jam ſit, causâ proximâ qværendâ laborare, cùm particulares ſaltem ſomni inducendi cauſas, qvarum adhuc plures dentur, non communem aliqvam & veram atqve ſolitariam & ſolidam adferant (m).

(m) Sennertus Inſtit. l. 1. c. 13.

§. XIIX. Sed qvod pace cinerum tanti viri dixerim, ſcopum qvidem hic ferit, ſed nec alii toto cœlo errant. Non enim ullum dubium eſt ampliùs, qvin ſomnus ſit ἠρεμία πρώτου αἰσθητικοῦ, ὡς αἰσθητικοῦ, ceu SCALIGER ARISTOTELEM ſuum explicat; (n) jam verò ſi per primum ſenſorium, ſeu organum ſensûs communis, non cor intelligas, ſed ad cerebrum transferas, non magnoperè Philoſophum & Medicum puto diſcrepaturum. Ut cùm vitæ qvidem totius penus cor ſit, ſine qvô nec cerebrum aut nervi qvicqvam præſtare poſſint, ita hoc ipſum tamen cerebrum vera, proxima & immediata cauſa ſit & maneat ſensûs: illud verò, cor puta, tantùm mediata, qvatenus vitam cerebro ſicut & univerſo corpori ſuppeditat. Hinc perqvàm acutè AVERROES (o) decreviſſe videtur, cor ſomni eſſe radicem, cerebrum verò ejus primum inſtrumentum: illud ut ſedes facultatis communiſſimæ, hoc, qvod in eo facultas illa communiſſima & ſpiritus vitalis attemperatur in animalem. Relinqvitur ergò, cùm ſenſus & motus in ſomno qvieſcant, neceſſe eſſe eam partem affici, qvæ hæc corpori præ cæteris & qvàm proximè ſuppeditet, h.e. cerebrum. Qvieſcente porrò cerebrô, qvieſcere qvodammodò aut ſaltem detineri oportebit, qvi in illo parantur, ſpiritus qvoqve animales. Ut jam nullus ſupereſſe poſſit ſcrupulus, qvin ſomni eſſentia in tali qviete cerebri & detentione ſpirituum animalium conſiſtat: at verò hoc ipſum potiſſimùm jam in qvæſtione erat, qvî jam illa detentio fiat qviésq; contingat? tùm ſanè cauſa cauſæ illius reddenda veniet, atqve tum ſanè recurrendum

erit

erit ad particulares illas & diverſas cauſas, qvæ pro diverſitate ſubjectorum diverſimodè qvoqve illam qvietem concilient, & contrariis modis vicisſim deſtruant, de qvibus in ætiologia & indicantibus vigiliarum poſteà erit agendum ſpecialiùs.

(*n*) Scal. Exerc. 289. Ariſtot. de ſomn. & vigil. (*o*) Averrhoes cap. 41. l. 4. col. 14. Capivaccius l. 1. de capitis affect. cap. 17.

§. XIX. *Sufficiat hîc de Vigiliâ è Phyſiologiâ præmiſiſſe*, qvod corpus humanum è 4. *elementis* invicem proportione mixtis ortum, indeq; nactum ſit qvalitatem ſeu *temperamentum*; & ex eodem cùm humidum, vel frigidum, aut conjunctum, ad ſomnum ſit pronum; calidum & ſiccum tàm ſeorſim, qvàm ſimul ſumptum ad vigiliam propendeat necesſe ſit: præſertim ſi è *partibus* continentibus, ſolidis atqve disſimilaribus princeps organon functionum animalium, cerebrum, ita fuerit diſpoſitum, *humoris*q́; ſui alimentarii pituitæ dulcis vel inops, aut ſalsâ modò abundans: ut *ſpiritus* influens animalis, qvi è vitali atqve aëre inſpirato inibi in cerebri ventriculis gignitur, efferatus *facultatem* ſentiendi & movendi asſiduè ſtimulet, irritet & inqvietet, qvin & principis illius gubernatricis ſubordinatas ſpecies imaginatricem, ratiocinatricem & memoratricem haud raro conturbet & debilitet, ut nulla ritè ſuas *actiones* cognomines exerere & exercere, commodéq; opera ſua conſveta obire posſit.

§. XX. Expoſitis & præſuppoſitis ſeptem iſtis *rebus naturalibus*, Vigiliæ conſiderationem circumſtantibus, è Phyſiologiâ petitis, *ad res non-naturales*, in qvarum legitimo uſu, & convenienti ſingularum qvalitate, qvantitate, utendi modo & tempore tota ὑγιεινὴ & ſanitatis tuendæ methodus conſiſtit, transeundum eſt. Qvæ tametſi & ipſæ è cenſu rerum naturalium eliminari neqveant, non ſunt tamen de hominis naturâ, nec contra eandem. Nam ut maximè ad corpus noſtrum conſervandum ſint necesſariæ, ad illud tamen conſtituendum non faciunt; qvemadmodum illæ præmisſæ, Elementa puta, Spiritus & humores &c. Eæ verò ad 4. capita GALENUS (*p*) redegit: *ad asſumenda*, ceu ſunt cibus & potus & pharmaca: *ad agenda*, ut omnes animi & corporis motus, exercitia ac qvies, ſomnus item & vigilia: *ad foris adhibenda*, ut aër ambiens, lotiones, balnea, ungventa, & qvæcunqve extrinſecus corpus alterant, contundunt, ſecant, divellunt &c. *ad evacuanda*, ea qvæ naturaliter excernuntur & præter naturam re-

 tinen-

tinentur; ut ſunt ſudor, urina, feces alvi, hæmorrhoides, menſtrua &c.

(*p*) Galenus l. de ſanit. tuendâ.

§. XXI. In harum rerum numero & meditullio qvaſi cùm *Vigilia* ſit, non minor hujus cura, qvàm cæterorum venit habenda. Qvod ea ipſa vitæ hominis ad animales functiones edendas inprimis ſit neceſſaria, ut reliqvæ propter hanc qvodammodò adeſſe videantur, qvæ ſcilicet inſtaurent, qvod per vigiliam diſſipatur. Si namqve ad reparationem triplicis ſubſtantiæ noſtræ, aſſiduè ab innato calore abſumtæ, *aër, cibus & potus* deſiderantur, qvorum ille ſpirituoſam, iſte ſolidam, hic humidam reficiat; ad eaq; ipſa probè concoqvenda, & exolutos ſpiritus reſarciendos, membráq; laſſa refocillanda *ſomnus* & *qvies* ſint neceſſaria; tùm verò inutilia & qvæ in naturam noſtram transire neqveunt, educantur *excrementa*, & variæ *animi*, ipſum qvoqve corpus conturbantes, vitandæ ſunt *perturbationes*.

§. XXII. *Præſtructâ vi & facultate cauſarum ad ſanitatem neceſſariarum, alterum ὑγιεινῆς membrum eſt methodus tuendæ ſanitatis, vel generalior*, uni maximè communisſimæ omnibúsq; ſervandæ legi Hippocratis (*q*) innixa, πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον, omne nimium naturæ inimicum. *Vel ſpecialior* in diæta diverſa diverſorum diverſis ætatibus & temperamentis hominum. Sic ergò *vigiliæ ſalubres* ſunt *moderatæ*, ſpiritus ac ſenſus excitantes, calorem in omnes corporis partes diſpergentes, alimentiq; diſtributionem & excrementorum propulſionem promoventes, poſteà juſtô tempore in ſomnum convenientem deſituræ, & inde vegetiores redituræ: at verò ſi præſcriptam exceſſerint normam, *inſalubres* oppidò futuræ vigiliæ. Qvemadmodum enim ſomnus immodicus cerebrum plus æqvo refrigerat & humectat: ita vigiliæ nimiæ cerebrum labefactant, & cum eo reliqvum etiam corpus exſiccant, ſpiritus exhauriunt & diſſolvunt, animales inprimis, ſenſuum functiones debilitant, virtutem virium dejiciunt, concoctionem impediunt, cruditatémq; calore ad exteriora motô pariunt, maciem conſumto vitali ſucco invehunt, bilem augent, acuunt & inflammant, atqve ita morborum calidorum febriúmq; acutarum, delirii & inſaniæ ſæpè cauſa ſunt, nonnunqvã etiam frigidorum, mortisq; ipſius occaſio abſumto tandem humido rad, & nativo calore diſſipato.

Qvâ

Qvâ de re conſulendus GALENUS comm. 2. ad 1. Prorhet. text 29. & lib. 7. Aph. comm. 18. & l. 7. meth. med. & l. de ſanit. tuendâ. (*q*) Hipp. l. 2. aphor. 51. De noxa Vigiliarum v. Sennertus & Frambeſarius in Inſtit. med.

§. XXIII. Atqve hîc obiter in mentem venit Medicinæ ab Herophilo ex ſubjectis definitæ, *ἐπιστήμη ὑγιεινῶν καὶ νοσωδῶν καὶ οὐδετέρων*: Jam verò illos *neutros* vel *decidentiæ* vulgò appellant, vel *convaleſcentiæ*: illos in morbum ruere pronos pars Hygieines *Προφυλακτικὴ* dicta ſublevat; his à morbo reſurgentibus vires baculúmq; ſuggerit altera ejusdem pars *Ἀναληπτικὴ*, ad qvam cognatam qvoqve referas *γηροκομικὴν*, qvæ ſenum, & illam, qvæ infantum curam gerit. Sicut ad prophylacticam pertinere arbitror *ἀναθρεπτικὴν* optimi habitûs conciliatricem illam, qvæ valetudinem ad meliorem ſtatum perducit, aut ſaltem à morbo defendit. Qvas ipſas ſpecies qvoq; enumeravit GALENUS (*r*) in earúmq; una & altera Vigiliæ adhuc infra mediocritatem tolerantur, & ſomnus, niſi qvid peculiariter prohibeat, ferè prolixior permittitur, ſicuti & qvibusdam asſvetis, atqve pervigilantibus & fesſis langvidisq; ſomnus qvoqve diurnus & pomeridianus moderatus non denegatur, nec abrogatur, juxta illud HIPPOCRATIS: (*ſ*) conſveta longo tempore, etſi deteriora ſint, inſvetis minùs moleſta ſunt.

(*r*) Gal. l. de partibus artis medicæ. (*ſ*) Hipp. 2 aphoriſ. 50.

§. XXIV. Hujusmodi qvoqve neutros cum Medicis dixeris, qvi tametſi nondum perfectâ agrypniâ affligantur, perparum tamen & indies minùs minúsq; dormiunt & ad negocia expedienda ferè obtuſi langvent. Ut tamen verum fatear, in Ariſtotelicam potiùs cum BARTHOLINO (*ſ*) propendeo ſententiam, qvi inter contraria hæc immediata (ſanum & ægrum) nullam dari voluit mediam diſpoſitionem. Sicuti nec ipſemet interdũ disſentit GALENUS, qvando (*u*) ſic ait: Cum corpus egreditur ſanitatem, ingreditur morbum. Et iterum: (*x*) Qvi operationes ſolitas exercere poteſt, ſanus eſt; cùm autem eas non ampliùs exercere poteſt, morbo laborat. Cùm igitur perinde ſit, aliqvid planè non agere, vel non rectè agere: itaq; & illi, qvi malè debiliterq; ſolita peragunt officia, in ægrotorum potiùs tribum, qvàm ſanorum cenſeas. Nam & illorum affecto pervigilio non minùs ſuæ cauſæ & ſigna atqve remedia, qvàm perfecto ſunt aperienda; qvæ non tàm ex Hygiena, qvàm Therapevtica, & hujus metatrice Pathologia atq; ejus ſororibus peti conſveverunt. Qvamobrem ab illâ, nunc ad haſce deproperandum eſt.

(*t*)

(*t*) Galen. 1. de locis affectis. (*u*) idem initio libri de differ. morborum. (*x*) Bartholinus medic. problem. 1. Exerc. 1.

§. XXV. *Poſt rerum ergò naturalium & non-naturalium dictarum tractationem qvalemcunqve, ſeqvuntur res præter contráq; naturam*, ſeu naturalem corporis humani conſtitutionem deſtruentes, qvas πάθη ſeu affectus, eorúmq; doctrinam παθολογίαν nuncupant. Sicuti verò in corpore ſano tria conſiderari ſolent, corporis ſecundùm naturam conſtitutio (qvæ ipſa eſt ſanitas), conſtitutionis cauſa, & accidentia conſtitutionem conſeqventia: ita etiam in homine malè ſe habente tria pariter: conſtitutio præter naturam morbus eſt, cauſa verò ejus morbum antecedit, & ſeqvitur morbum actio læſa, aliáq; ſymptomata. Prout ἡ νόσος διάθεσίς ἐστι παρὰ φύσιν, ὑφ᾽ ἧς ἐνέργεια βλάπτεται πρώτως (*y*). ἅπασα δὲ διάθεσις σώματος ἐξισταμένη τοῦ κατὰ φύσιν ἤτοι νόσημα ἐστὶν, ἢ αἰτία νοσήματος, ἢ σύμπτωμα. Diſtingvuntur autem hæc terna ab eodem PERGAMENO Archiatro (*z*) ita invicem, ἡ τὴν ἐνέργειαν ἐμποδίζουσα διάθεσις ὀνομάζεται νόσος, εἴ τι ἕπεται τῇδε σύμπτωμα· τὸ δὲ ἐργαζόμενον αὐτὴν αἴτιον.

(*y*) Galen. c. 1. l. de differ. Symptom. (*z*) Idem c. 1. l. 2. meth. med.

§. XXVI. Cæterùm qvod idem Medicorum Coryphæus (*α*) obſervavit, ſymptoma largè qvandoqve omnem à naturali ſtatu mutationem, & qvicqvid animali præter naturam accidat involvere, ita ut morbus qvadantenus etiam Symptoma dicatur, ſicuti & cauſa præter naturam: ita viciſſim eadem nonnunqvam res triplicem hujusmodi ſubire poteſt conſiderationem. Agrypnia v. g. per ſe qvidem ſensûs communis (per eundem GALENUM *β*) ſymptoma, at verò aliorum morborum qvoqve cauſa, atqve ipſe qvoq; multis morbus eſt, ſicuti PLINIUS (*γ*) teſtatus eſt, Inter mala univerſi corporis vigilias pleriſq; eſſe, qvaſi qvæ totum corpus occuparent & moleſtarent, ceu febres, cum qveîs nonnunqvam conjunctæ ſunt. Ab H. CAPIVACCIO (*δ*) J. HEURNIO, P. FORESTO, aliisq; inter affectus morbósq; capitis internos, actionem animalem lædentes, connumeratur hæc, qvam dicunt, morboſa Vigilia.

(*α*) Galen. l. de Symptom. different. c. 2. (*β*) Idem ibidem. (*γ*) Plinius hiſtor. nat l. 26. c. 11. (*δ*) Hieronymus Capivaccius lib. 1. de affect. cap. c. 7. & c. 19. Joannes Heurnius de morb. capitis in ſingulis partibus c. 16. Petrus Foreſtus obſ. 35. l. 10. de cerebri morbis.

§. XXVII. Atqve ut hanc præter naturam ſomno contrariam tan-

dem

dem *definiamus* affictionem, dicere qvidem poſſemus Agrypniam eſſe læſam actionem interioris ſenſûs, ſpiritus animales immodicè ad externorum ſenſuum motûsq; organa præter naturam diſſipantis, orta ab intemperie calidâ, ſiccâ, vel utrâqve, ſine & cum materiâ. Retineamus tamen potiùs illam è jam nominatis Italiæ Belgiiq; famigeratiſſimis medicis (ε) receptam & ab AVICENNA (ζ) acceptam definitionem: *Pervigilium ſeu vigilia morboſa eſt relaxatio cerebri, dependens ab effuſione animalis facultatis ad inſtrumenta ſenſûs & motûs contra naturæ legem.*

(ε) Capivacc. c. 19. lib. 1. de cap. affect. & Heurn. atqve Foreſtus l. cit. (ζ) Avicenn. lib. 3. fen. 1. tract 4. c. 4.

§. XXIIX. Definitio hæc cauſalis non modò formalem ſub genere continet cauſam, relaxationem; ſed & materialem, ſubjectum locúmq; affectum, cerebrum: effectricem porrò ſub differentiâ, effuſionem caloris & ſpiritûs animalis in ſenſûs & motûs organa præter naturam. Qvæ ultima duo verba non morbificam ſaltem cauſam, qvæ inſomnietatem morboſam ab alia vigilia diſtingvit, ſed & finalem utcunqve innuit. Nam cùm Natura ſanitatem ſalutémq; animalis intendat, illud ſanè, qvod contra naturam eſt, ejus extinctionem intentabit. Sed nec adeò opus eſt finalem ſemper cauſam adducere, qvæ in artibus, qvæ caſu fiunt, interdum deſideratur, cùm ea nullius gratiâ fiant. Eſt etiam ubi id, per qvod fiunt, abeſt. At nihil invenire licebit, qvod materia non egeat, ex qvâ conſtet, & efficiente, à qvo fiat, ut habet

GALENUS lib. de cauſ. procatarct.

§. XXIX. Qvemadmodum verò ſuprà §. XIIX. non inficias qvidem ire voluimus, immobilitatem & detentionem ſpirituum animalium ſomnum qvàm proximè conciliare, in eaq; eſſe qvaſi illius conſiſtere; attamen cauſæ iſtius cauſas & anſas alias putavimus perveſtigandas: ita qvoqve vigilias ſuperfluas licet nonniſi à prodigâ ſpirituum animalium ad organa ſenſuum effuſione, ob defectum vinculi ſenſorii primi, irritationémq; ſenſûs communis nimiam oriri ſtatuamus; hinc tamen ſtatim cum medicis ad varias alias illius profuſionis cauſas morbificas progrediamur. Ex qvo fiet manifeſtum GALENUM (η) haud adeò cauſæ illi noſtræ efficienti primariò vigiliis aſſignatæ, effuſioni puta ſpiritûs animalis præter naturam adverſari,

qvando in Vigiliarum hujusmodi non-naturalium vigilantiâ deſiccatum & qvaſi inflammatum calorem naturalem foràs immodicè moveri, atqve inde illam exoriri tradidit. Subordinata qvippe hæc apparent, ita ut noſtra illa *συνεκτικὴ* & proximè morbum faciens, illiq; adeò conjuncta ſit cauſa, qvâ præſente adeſt & morbus, & qvâ ſublatâ (Authore GALENO θ) ſolvitur: aſt illa altera allata Galenica cauſa non continens, ſed contentiva (uti vocant) eſt, & ut ſpiritus animales qvoqve defatigentur, & forâs protrudantur haud parùm adjuvat. Sicuti enim ſpiritus animalis præter naturam egreditur ſcribit CAPIVACCIUS (ι): ita calidum innatum præter naturam movetur ad circumferentiam. Spiritus autem animalis evagatur & movetur ad inſtrumenta ſenſuum, propter cauſam morbificam, qvæ multiplex eſſe poteſt, vel interna, vel externa: hæc à rebus ferè non-naturalibus immoderatis proficiſcitur; illa verò eſt qvalitas cum vel ſine materiâ, h.e. qvandoqve ſimplices ſunt intemperies, aliqvando cum humoribus, qvi vel per eſſentiam & primariò continentur in cerebro, vel eò ex ore ventriculi, vel venis totius corporis, ut in febribus, vel à jecore, qvando eſt calidius, aut ab utero, liene, meſaraicis, vel ab aliâ parte transmittuntur.

(η) Galen. c. 10. l. 3. de cauſ. pulſ. (θ) Author lib. de fin. med. & libro introductorio. (ι) Capivaccius loco cit. Vid. Hercules Saxonia lib. 1. pract. med. c. 9. & prælect. pract. part. 1. c. 10.

§. XXX. Nam qvum cerebri ceu *πρώτου δεκτικοῦ* facultas animalis duobus omninò modis læſa intelligatur, tùm qvia labefactatur, tùm qvia impeditur; labefactatur ergò vel à nudâ intemperie calidâ & ſiccâ, vel ab intemperie cum materiâ, & hâc ipsâ calidâ & ſiccâ, vel ſecundùm ſui naturam propriam, cujusmodi eſt bilis, vel qvæ talis ab intrinſeco ſit, ut eſt pituita ſalſa. Impeditur autem facultas animalis iterum, vel materiæ vel doloris ratione: à dolore vapor humidus abſumitur, refellitur & diſſolvitur, & ſic conſeqventer ſomni cauſa aufertur: à materiâ verò impeditur, qvotiescunqve aliunde in caput fluit, vel à toto, ut in febre ardente vapores calidi & ſicci caput vigiliis infeſtantes; vel à parte, ut ab epate humores bilioſos generante; vel ab aliis qvoqve partibus. Qvemadmodum has cauſas morbificas internas omnes & ſingulas *ἐπι-και διχοτομικῶς* & argutè partitus eſt FRID. HIPPOLYTI F. HILDESHEIM.

De morbis capitis internis ſpicilegio 4. p. 405.

§. XXXI.

§. XXXI. Pergamus hâc ſemitâ & ſingulas perqviramus intimius. Qvamvis autem indubium ſit ſyndromen illarum, ut vim unitam potentiorem omninò eſſe, gravioresq; producere vigilias, ut qvalitas cum materiâ illam, qvæ ſit ſola, jure merito videatur præcedere; valdè fortis tamen per ſe illa ſolitaria & ſine materiâ judicata GALENO (κ) fuit qvalitas, qvam cerebri intemperiem, materiæ expertem, cauſam internam vigiliarum præcipuam ille propoſuit & aliis concauſis præpoſuit. Qvumq; intemperies iſta vel calida ſit, vel ſicca, vel calida & ſicca ſimul, ſemper tamen caliditatem priores ferre partes voluit, qvum ſit majoris activitatis in rarefaciendo & abſumendo, prohibendóq; vapore, ne ſurſum in caput deferatur; qvem ſiccitas ſolummodò abſumat, atqve inde ſecundas tantum hîc obtineat. Tametſi & ipſa ſola hæc ariditas vigilias pariter, uti humiditas ſola abundans longos profundósq; ſomnos inducat. Meritò tamen poſt Magiſtrum hunc ſuum pleriqve omnes medicorum filii pronunciârunt maximè calidam intemperiem potisſimùm hîc in vitio eſſe, deinde vaporis ſomniferi pravitatem, de qvâ poſteà. Atqve ita qvoqve AVICENNAS (λ) complexionalem (ita vertit interpres) caliditatem propter igneitatem ſpiritûs, qvi ſemper ad exteriora moveatur, pro magis principali efficiente Sahara vel pervigilii morboſi poſt GALENUM declaravit.

(κ) Galen. lib. 3. de locis affectis, & lib. 3. de cauſ. pulſ. c. 10. (λ) Avicennas l. 3. Fen. 1. tract. 4. c. 4. è Galen. comment. 3. in 3. Hippocr. de morb. vulg.

§. XXXII. Qvalitati iſti ſine materiâ alteram qvoqve ſpiritalem dolorificam qvalitatem CAPIVACCIUS (μ) ſtatim copulavit. Nam qvum dolor non modò ſolvat unitatem, ut objectum improportionatum in inſtanti agat in cerebrum, & cerebrum hoc objectum ut dolorificum indicet; ſed & eadem cauſa dolorifica qvalitatem noxiam introducat, qvalem GALENUS (ν) inſinuavit, qvum v. g. inteſtina vel caput dolentia ventriculo communicare dixit pasſionem, qvæ nihil aliud ſit, qvàm qvalitas ſpiritalis: ſicuti qvoq; qvum idem GALENUS (ξ) ſyncopen fieri perſenſiſſet vitio ſtomachi, ob proprietatem doloris, h. e. ob qvalitatem dolorificam, qvæ longè alia ſit ab intemperie. Qvum hæc ipſa cerebri intemperies ſuâpte naturâ careat dolore, juxta H. AUGENIUM (ο). Qvocirca ſi cauſa dolorifica tribuat qvalitatem cerebro dolorificam, eſt cauſa vigiliarum; non tamen ſemper; nam qvandoqve eſt cauſa reciprocationis caloris, ut fiat Carus.

 Siq;

Siq; cauſa dolorifica tribuat ſolummodò objectum improportiona-tum, & tunc cauſa eſt non ſomni, ſed vigiliarum: non enim permittit alimenti vaporem in caput ferri: qvia materia propter dolorem fluit in partem, qvæ primò afficitur juxta eundem GALENUM (π).

(μ) Capivacc. loc cit. (ν) Galen. aph. 50. ſect. 6. (ξ) idem c. 6. l. 5. loc. affect. (ο) Hor Augen. epiſt. 7. l. 5. (π) Galen. c. 3. & 5. l. 13. meth. med.

§. XXXIII. Hactenus fuit qvalitas illa citra materiam & ſpiritalis, ſeqvitur jam inter cauſas internas προηγουμένας, pervigiliorum non-naturalium matres & nutrices, intemperies cum materiâ juncta; qvæ ipſa qvoqve, qvum calida & ſicca putridave vitium fecerit, prohibet condenſari vaporem, & conſeqventer ſomnum. Atqve eadem hæc in ſubſtantiâ cerebri moleſta materies vel bilioſa erit, cùm acris, tùm aduſta; vel ſalſa pituitoſa, qvam citumam vulgaris AVIC. INTERPRES (ρ) nitroſitatem humiditatis in cerebro profundè radicatæ, bauracitatem qvoqve barbarè, & ſalſedinem humorum in decrepitis Sahara ſeu vigilias gignere voluit.

(ρ) Avicennæ interpres vetus l. 3. fen. 1. tract. & c. 4.

§. XXXIV. Præcipua tamen hîc eſt cacochymia bilioſa, à temperamento calido & ſicco, ætate ſtatâ & juvenili, tempore æſtivo, ſiccâ cœli conſtitutione & regione calidiore, & ſicciore, prægreſsâ qvoqve tali victûs ratione undiqvaq; collecta & coacervata, atqve per & in ſe indies augmentata. Prout vigilia gignitur à bile, & bilem qvoq; viciſſim gignit ex mutuâ in ægri perniciem conſpiratione. Exindéq; GALENUS (σ) à bilioſis calidisq; morbis vigilias qvoqve, deliria, phrenitides effici prodidit, materiâ puta magis magisq; efferatâ: & alibi idem (τ) poſt calorem primæ ſenſitivæ partis, nempe cerebri, bilis abundantiam pro cauſâ à primâ proximâ poſuit.

(σ) Galen. l. 3. de loc. aff. (τ) Idem comm. ad aphoriſmum præſentem 3. l. 2.

§. XXXV. Contrà à plethorâ ad vires & cacochymiâ pituitoſâ ſomnus gravis & veternoſus, atqve à vitioſi ſangvinis materiâ putridâ & calidâ, qvando pituitoſus calidúsq; humor in cerebro exuperat, vigilans ſopor generari & prodire conſvevit, ſecundùm EUNDEM (υ). Haud raró tamen à pituitâ qvoqve ſalsâ & proinde ut putridâ calidâ vigilax hoc tædium prognaſcitur. Hæc autem vel in cerebro congeritur, qvum id æſtu flagrat, vel diutiùs ibi cunctando putreſcit in ſalſuginem ab infarctu dum laborat caput, aut dum calidum nativum titubat, vel aliunde influit, & à toto corpore fertur in cerebrum, maximè

mè per febres bilioſas. Ab ejusmodi evaporatione ſalſæ pituitæ ad cerebrum, qvâ abundant, ſenes cumprimis inſomnes noctes vitámq; pervigilem agere author eſt MASSA (φ), præſertim qvum iſtis de ponte jam trudendis vigiliæ ob ætativam (ut loqvitur idem ibidem) ſiccitatem jam tum naturâ accidant.

(υ) Gal. l. cit. 3. de loc. affect. (φ) Nic. Maſſa epiſt. medicin. 3.

§. XXXVI. Ambabus hisce, qvas jam vidimus, mineris bilis & pituitæ tertiam (vaporoſam κατ' ἐξαίρετον) materiam vigiliarum ſubdidit HEURNIUS, (χ) non ita capiundam, qvaſi proximè præmisſarum par non æqvè evaporet, qvum omnis hæc materia, à qvâcunqve tandem minerâ (ut CAPIVACCIUS aliiq; vocitant) progrediatur, eadem propriè ſit vapor. Sed eò vaporoſam ſpeciatim nuncupavit, qvod ea ſub ſpecie vaporis alimentarii, nullâ notabili vel dolorificâ qvalitate cerebrum petat. Nam ut maximè acer & mordax ſit vapor, qvia tamen non meningibus magis ſenſitivis, imò exqviſitô ſenſu præditis, ſed cerebri ſubſtantiæ, ſtoicô more indolenti, bellum infert; itaqve ſine dolore vigilias, calefaciendo & exiccando, ſpiritûsq; attenuando nimiùm ac disjiciendo concitat. Sicuti adhuc magis illud præſtat, qvum ſine caliditate & acrimoniâ, ſed ſaltem malignâ qvalitate imbutus ejusmodi vapor cerebrum penetrat, veluti fit in febribus peſtilentibus, cum qveis incendium licèt ſit admodum exiguum, nec acres vapores caput oblædant, vigiliæ tamen intenſisſimæ ſeqvi ſolent, qvod maligni vapores cordi admodùm graves ubi cerebrum invaſerint totâ ſubſtantiâ, pernicie ſuâ ſpiritus animales corrumpant. Qvod fabri cujusdam ferrarii F. exemplo firmavit AUGENIUS (ψ). Qvin & ab inopiâ qvandoqve anathymiaſeos pervigilium fieri cognitum eſt, dum nimirum ventriculi vitio nulla vaporis ſomniferi ſvavitas, veluti in lienteriâ, ſurgit, ſed rugitus modò & flatus ſentiuntur.

(χ) Heurnius l. c. de cap. morb. (ψ) Horatius Augenius de febribus l. 7. c. 17. & l. 5. Epiſt. medic. 7.

§. XXXVII. Dum adhuc in conſideratione cauſarum contentivarum hæremus, aliqvantò pleniùs disſolvenda venit qvæſtio illa, ſemel iterúmq; jam tacta, qvibus viis in cerebrum perreptet hæc materia? Ubi (anteambulone D. SALZMANNO ω) teneamus cum Phyſicis *tres terminos: à qvo, ad qvem & per qvem.* His enim tribus totum opus iſtud perficitur. Qvorum *primus agit transmisſione, ſeqvens* verò

attractione, tertius derivatione. Et tranſmiſſione qvidem effunditur materia vel à toto, vel à parte; à toto corpore, ſi illud vel cacochymiâ contaminatum, vel etiam athleticô habitu ad ſummum plenitudinis gradum perductum non habeat, qvo liberè humores poſſint ventilari, facilimè hi inflammantur, & ad caput ſubtilitate ſuâ pervadunt: à parte verò tranſmitti jam tum diximus fuligines, ut ab epate plus juſto calidiore, aut etiam corde à naturali temperie recedente, maximè tamen à ventriculo vitiatâ coctione ructibus nidorulentis aſſiduè aſcendentibus. Sic igitur ſe habet terminus à qvo; terminus verò, ad qvem materia defertur, & in qvo tanqvam in metâ propoſitâ materiei qvieſcere datur, ex ſuperioribus ſatis patuit, qvod ſit cerebrum, hoc autem attractione officium ſuum exeqvitur, atqve adeò vel à calore, vel à dolore; qvorum uterq; inſtar cucurbitulæ plenâ flammâ adhibitæ, materiam inflammationi idoneam evocare conſvevit. Terminus deniqve per qvem, ſeu ductus, per qvos tanqvam canales ad cerebrum materia morbifica deducitur & derivatur, ſunt venæ & arteriæ.

(ω) D. Joh. Rudolphus Salzmann. Præceptor qvondam noſter in Acad. Argentin. diſp. de para- & phrenitide.

§. XXXIIX. *Percurſis* jam paulò fortaſsè prolixiùs *cauſis internis, antecedentibus*, morbûmq; foventibus & *contentivis*, tùm etiam *continente* morbúmq; proximè faciente, nihil reſiduum opinor, qvàm ſi evolvantur & *alteræ externæ, evidentes* & προκαταρκτικαὶ, ſeu *præincipientes* vulgò, ab aliis verò GALENO (*a*) authore morborum ſaltem προφάσεις & *occaſiones* fuére nuncupatæ: qvorum ſententiam præter alios non ita pridem revocavit & acriter defendit BARTHOLINUS (*b*). Nam externarum illarum impetum, niſi concurrentibus internis, qvicqvam effatu dignum efficere poſſe negat AUGENIUS (*c*), eas verò jam nunc enucleemus. Non enim ſpero fore, ut qvis operiatur, dum materiam, non cum cerebri intemperie conjunctam & jam pertractatam, ſed ſigillatim adhuc, ut & dolorem, ſub ſpiritali qvalitate dolorificâ §. XXXII. expenſum, peculiariter ad disqviſitionis lancem fuſiùs revocemus; actum ſiqvidem nos agere debere poſtulaturus eſſet.

(*a*) Galen. l. de cauſ procatarct. c. 1. (*b*) Bartholin. probl. medic. 1. exerc. 9. (*c*) Horatius Augen. l. 5. Epiſt. medic. 7.

§. XXXIX. Sunt autem, veluti jam à nobis indicatum eſt, totidem externæ cauſæ, qvot res ſunt non-naturales immoderatiores,

qvot-

qvotq; ſpirituum aut inflammationem, aut diſſolutionem cum ſiccitate &c. procreant. Ut aër æſtatis calidus & intemperatus, atqve juxta AVICENNAM (*d*) qvoqve luminoſus: Solis qvoqve & ignis aliqvandiu tolerata vehementia atqve vicinia: ſecundùm PAULUM inedia cibusq; parcior, aut flatibus plenior, (qvalis fabarum) vel acrior, (ut ſalſamentorum & aromatum, cumprimis piperis, ita & zinziberis, calami aromat. & cubebarum; item allii, ceparum, naſturtii, erucæ, ſinapis, piperit. & ſimilium plantarum) corruptus qvoqve in ventriculo, (unde pueros fatigant acres fumi illati cerebro) nec non nimius & concoctionem impediens cibus, ut in ingluvie, de qvâ causâ AVICENNAS(*e*): Eſt & Sahara propter malitiam digeſtionis & multitudinem repletionis. Maſticatio qvoqve & freqvens odoratus Nicotianæ, Nigellæ, Pyrethri &c. idem præſtat. Prætereà ſitis, crapula & potus vini veteris meracioris & generoſioris, veluti Malvatici, Hiſpanici, Hippocratici & ſublimati, pleniori hauſtus manu; cujusmodi merum puer ille Pergamenus Grammatici apud GALENUM(*f*) qvum perpotâſſet largiùs, mox in reliqvum vigil evaſit, ac homo eſſe deſiit. Ita qvoqve alvi profluvium, Venus cumprimis immodica, nimia qvoqve exercitatio & commotio, qvæ materiam calidam ad caput attrahere poſſit, & corpus inſigniter alterare, uti curſitationes, eqvitationes, vectiones, ambulationes, luctationes, pugilatus, ludus pilæ, frictiones &c. Fortior etiam animi motus omnis & perturbatio, ut qvum mœror mentem futuri mali metu, aut amiſſi boni recordatione cruciat, vel etiam amor ſpe pulchri ambiguâ fatigat, & vehementes præſertim atqve profundæ cogitationes, qvæ ſingula forinſecus qvietem nocturnam excutere ſolent. Sicuti qvoqve dolor, æſtus, oppreſſio, ſtubæ & balnearum nimiùm calefactarum crebrior uſus, medicamentorum etiam calidiorum intempeſtiva adminiſtratio, ſummatim cujuscunq; alterius excedens caliditas & ſiccitas, ac qvicqvid ſpiritus alterare poteſt, vigilias qvoqve promovere poteſt, ſeu adeò in neceſſariarum non-naturalium rerum, primùm in hâc § enarratarum, cenſu, ſeu in non-neceſſariarum atqve fortuitarum claſſe citumâ deprehendantur.

(*e*) Avicennas loco ſæpè cit. de Sahara. (*f*) Galen. 3. de loc. affect.

§. XL. Cæterùm & iſtud adhuc ad cauſarum doctrinam ſubjiciendum, qvod ex iisdem *differentiæ* & *ſigna* vigiliarum facilè ſint obvia.

Et

Et *differentiæ* qvidem ſeu *ſpecies vigiliarum* (parum enim intereſt Galeno (*g*) qvocunqve notentur vocabulo) à cauſis deſumendæ, non adeò qvidem à formâ, qvæ nullæ ſunt niſi ſecundùm magis & minus, qvatenus relaxatio intenſior ſit vel remiſſior; prout actionem qvamlibet trifariam lædi contingit, qvum vel minimè, vel remiſsè, vel depravatè edatur: multò minùs à ſubjecto, qvod ſemper eſt cerebrum: ſed ab efficiente causâ internâ & externâ morbificâ omninò petendæ, ut aliam qvidem vigiliam dicamus ab errore externo, tàm neceſſario, qvàm non neceſſario, adventitiam; aliam verò inſitam veluti ob internam diſpoſitionem. Item pro intemperie cerebri calidiore & ſicciore unam ſaltem affectam & in habitudine ſeu κατὰ σχέσιν, alteram perfectã & in habitu ſeu καθ' ἕξιν deprehendamus. Porrò & ratione materiæ diſcrepare novimus ſpecies, ut alia bilioſa, alia pituitoſa, alia in genere vaporoſa vigilia dicatur. Qvin & translationis modus alias gignit differentias, qvatenus enim à toto corpore, cacochymico puta, humor peccans transmittitur, talis ſanè vigilia differt ab alia, qvæ à parte modò, ut ab epate, vel ventriculo, aut aliâ parte determinata effunditur: alia qvoqve eſt, ubi cerebrum motiò attrahit. Ratione ſymptomatum qvoqve mitior adhuc qvædam eſt, qvò ſimplicior, qvò magis autem eſt compoſita cum aliis acutis morbis & gravibus accidentibus, eò crudior atqve crudelior. Et hæ differentiæ omnes propriam ſingulæ flagitant curationem, qvam hiſtoria ac natura mali, qvomodo ſcilicet exigenda ſit, indicat. Qvâ de re *ſigna* jam loqvantur.

(*g*) Galen. l. 4. de loc. aff. c. 1.

§. XLI. *Adhuc fuit αἰτιολογικὴ, ſeqvitur & σημειωτικὴ, ſigna pariter διαγνωστικὰ inſtillans atqve προγνωστικά.* Inter prioris generis *ſigna vigiliis maceratorum* Galenus (*h*) iſthæc retulit: *Eos*, inqviens, *diſtingvit* decolorationis modus, ſubtumida præterea ipſis eſt facies, palpebráſq; non facilè attollunt, oculóſq; habent præhumidos: ſiq; illi à curis vigilant, oculorum concavitas adeſt. Plura ſigna à cauſis explicat Avicennas (*i*). Qvod enim pervigilium fit à calore, id manûs innoteſcet exploratione, & his imi oculi æſtuant, unáq; cum totâ facie rubent: ſi fit à ſiccitate purâ citra materiam, & non ſociatâ caliditati, levitas ſenſuum & capitis ſine calore notatur: proditq; ſe ariditas ſqvalore lingvæ, ac faucium & oculorum; nares nullo madore

uve-

nveſcunt, tenſáq; in fronte cutis conſpicua eſt. Ejus qvæ fit ex caliditate & ſiccitate ſimul, ſigna ſunt inflammatio cum ſiti & aduſtione in origine oculorum. Alioqvi gravitas materiæ ſuboles eſt: Si à bile, lucem, agitationem ac turbam omnem reformidat, ſeqvitúrq; delirium. Si ex salsâ pituitâ, ſeu ex nitroſitate humoris in cerebro ſparſi fuerit, oculi lippiunt, ora naresq; ab acri pituitâ inundantur, & earum pinnæ exulcerantur, ſentitúrq; aliqva gravitas, ſiq; indormiat æger, aliqvantulum velociter excitatur. Qvæ verò vigilia ex illuminatione loci, aut ex cibo potúq; & aliis externis anſis provenit, ejus ſigna ſunt cauſæ & res præcipuè non-naturales. Sed ejus, qvæ ex dolore, ſolicitudinibus, febribus acutis aliisve morbis, ſigna ſunt cauſæ, & cujusq; dignotio ex propriis indiciis colligitur, ut GALENUS qvoq; (*k*) docuit, & ea omnia latiùs BEN. FAVENTINUS (*l*) retulit.

(*h*) Galen. 2. de criſibus. (*i*) Avicenn. l. 3. fen. 1. tract. 4. c. 5. (*k*) Galen. commento 29. Prorrhet. (*l*) Benedictus Victor Favent. cap. proprio de vigiliâ modum excedente, laudante qvoqve Foreſtô l. c.

§. XLII. Dum itaq; *ſignorũ auguria* in genere, ex ipsâ rei naturâ, cauſis & effectib. ſeu accidentib. aliqvo pacto aperuimus; ſpecialiora ex urinâ, bullis in ſummo ſpumosâ, & pulſu propter cauſam diverſam diverſo, non licet nunc luxurioſè explicare, ſed ad peculiares de iis tractatus remittuntur, præſertim qvando & Dn. SENNERTUS (*m*) intemperiem cerebri (qvæ maxima ut diximus cauſa inſomniæ) ex urinis haud adeò poſſe agnoſci, contra HERC. SAXONIAM (*n*) illud aſſerentem, evicerit: ita ut licèt Galenus ipſemet (*o*) urinas in turbulentis & vigilibus nigras ſublimè petentes, phreniticas prædixerit, non perpetuò tamen tale qvid ſignificare, niſi per accidens, ibidem docuerit SENNERTUS. Nec opus erit, ut ſigna παθογνωμονικά, qvæ morbi eſſentiam conſeqvuntur necesſariò, vel etiam συνεδρεύοντα, qvæ non necesſariò eſſentiæ cohærent, usqveqvaq; rimemur inter diagnoſtica; noſcibiles namqvè ſunt vigiliæ, ut ſtatum ægri præſentem è ſignis diagnoſticis nullo negocio demonſtremus, cùm è propriis, ut colore & ſapore atqve motu humorum, tùm è communibus, qvalia ſuppeditat ſcaturigo cauſarum & effectorum, ſeu antecedentia, qvæ & res non-naturales & corporis diſpoſitiones complectuntur: & conſeqventia, qvæ ſunt omnia ſymptomata nocentia & non nocentia.

(*m*) Sennertus lib. 3. Inſtit. part. 1. ſect. 3, c. 12. (*n*) Herc. Saxon. de urinis c. 18. (*o*) Galen. comm. prorrh. t. 4. De ſignis v. Frambeſar. Sennertiq; Inſtit & inde Theod. Ebertus de Medicinâ.

 §. XLIII.

§. XLIII. *Ad prognoſtica ſigna* (per qvæ futura, qvæ ſunt in ægro, cognoſcimus, tàm ratione cruditatis & coctionis, indeq; futuri morbi, qvàm mortis & ſalutis, vel eventus intuitu) repetenda veniunt, & qvæ jam inter diagnoſtica indice notata ſunt, *παθογνωμονικὰ*, ſpeciem morbi immediatè demonſtrantia, unde præſagia ſæpè ducuntur, an ſit ſanabilis, vel inſanabilis. Nam v. g. in ſenio vigiliæ ex pituitâ ſalsâ nitroſâ vix curationem, teſte AVICENNA, recipiunt. Adde, qvòd pathognomonica ſymptomata valdè aucta morbi magnitudinem ſignificent, ac proinde periculum portendant. Deinde ſunt *ἐπιγινόμενα* ſigna, qvum ſymptomata per cauſæ propagationem ſuperveniant, qvæ morbum adauctum indicent; ut ſi acuta febris, vehemens tuſsis, phrenitis, ſpaſmus, aut alia talia acceſſerint, periculoſiſſimæ vigiliæ præſumuntur. Item ſi non modò cerebrum caliditate immodicâ & ſimul ſiccitate nimiâ à temperamento recidat, atqve illæ copulentur, non poteſt non malum prænunciari difficilius; qvando jam tum utraq; ſine alterius acceſſione in noxam ſatis valeat: Sed ſi & abundantia bilis, aut copia ſalſæ pituitæ, mordaces ve fuligines, ex aliqvo morbo ſurſum impellentes, ſupervenerint, Qvis dubitaret haſce vigilias curatu minùs idoneas affirmare? Multò minùs ſomnum ſanitatémq; recuperabilem polliceri poſſumus, in extremo ſenio, vel ſi vigilia convulſioni ſuccedat, aut ſit ex inflammatione phreniticâ. E diametro in pervigilio à cauſâ externâ, & malo nondum radicato, vel à nudâ intemperie, facilior curatio promitti poterit.

§. XLIV. Sed ſumma rerum faſtigia & veſtigia ex ipſis Archiatris perſeqvamur & comprobemus. Univerſaliter hîc tenendus aphoriſmus noſter præſens HIPPOCRATIS, *ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα τοῦ μετρίου μᾶλλον γινόμενα κακόν*, (*p*) ſomnus & vigilia, ſi modum exceſſerint, utraq; malum (addente GALENO) & ſignum & cauſa. Qvare in genere omnes & ſingulæ vigiliæ indicant vilipendi non debere. Vigilare qvippe & noctu & interdiu peſſimum ſeu calamitoſum; qvod dolor ac labor ab eo indicio (juxta eundem HIPPOCRATEM *q*) ſignificetur. Qvæ ita HEURNIUS fuſiùs (*r*): Aut enim à dolore (ut nulla ſit curarum excuſatio) unde acrior fit phantaſia; aut à labore, ſi laboraverit, hoc eſt, à jactatione, à ſqvalore & calore cerebri tetróq; vapore ſomnifero: aut de hoc ſigno non erit ſuæ mentis: nam facilè in phrenitidem trahuntur turbati animi, qvam facilè admittit cerebrum

ſqva-

ſqvalidum, qvod incurritur à tetrâ anathymiaſi. Nam vigiliæ qvum ſint ex his, qvæ maximè evacuant & univerſum corporis habitum exiccant, (*s*) atqve ideò non modò graciliores, aridioreſq; homines & in tabem procliviores reddunt, minúsq; audientes, ex præſagio ipſius iterum GALENI (*t*); ſed & convulſionem faciunt ac deſipientiam, tùm ipſa ſiccitatis nimiæ ratione; tùm qvia præterea per longas vigilias bilioſior fiat ſangvis, (*u*) ſignum verò illud valdè malum eſt, qvod & HIPPOCRATES ſcito illo ſuo (*x*) teſtatum fecit: ἐπὶ ἀγρυπνίῃ σπασμὸς ἢ παραφροσύνη κακόν. Eſt enim ſignum maximæ ſiccitatis cerebri & nervorum, ut ait AUGENIUS. (*y*) Qvi tamen videtur ad convulſionem potiùs reſpexiſſe, ab ejusmodi ariditate immodicâ provenientem, atqve illa ipſa exhauriendi potentiâ enecantem: nam deſipientiam & aliqvando furorem induci à ſangvine magis magiſq; à perennibus vigiliis in bilem converſo, è GALENO (*z*) probat FORESTUS.

(*p*) Hippocr. aphor. 1. l. 3. & ad eundem Galenus. (*q*) Idem Hippocr. lib. 2. prædictionum c. 2. (*r*) Heurnius de cap. morb. l. cit. (*s*) Galenus lib. 7. aphor. comm. 18. & l. 7. meth. med. (*t*) Idem Galenus 3. de ſanit. tuenda, & 2 Aph. comment. 28. (*u*) Idem comm. 18. l. 7. Aph. (*x*) Hippocrates lib. 7. Aphoriſm. 18. (*y*) Hor. Augenius part. 1. prælect. pract. c 10. (*z*) Galen. 1. Prorreth. comment. 25.

§. XLV. Ita ergò in pervigiliis pertinacibus, præſente oculorum torvorum rubedine, capitis dolore, nec adeò conſtante mente, aliiſq; tàm caliditatis & ſiccitatis, qvàm bilioſitatis apparentibus ſignis, concurrente qvoqve tum urinarum (de qvo §. XLII.) Galenico indicio, phrenitidis ſuperventuræ ingens periculum vaticinari licet. Convulſiones qvoqve & tabem atqve febrem hecticam, & interdum cachexiam ex aliis dictis hariolari & præſignificare dabitur. Digeritur enim immodicè, qvicqvid humiditatis eſt, id depaſcente vigiliâ, ut in qvâ nativi caloris & ſpirituum magna fiat diſſolutio, (ceu VALERIOLA enarravit *α*) ipſorúmq; nervorum ob cerebri ſiccitatem labefactatio. Ex phrenitide calamitatis plenæ ſunt vigiliæ, qvæ ab inflammatione naſcuntur, ſcribit HEURNIUS, (*β*) qvæ ſi abſit, minus periculi afferent. Ex cancroſâ inflammatione ſi inductæ hæreant, conclamatum erit, ait AVICENNAS. (*γ*) A dolore ſi obortæ fuerint vigiliæ, ut ex variis emicant hæ cauſis, ita & varium, pro vi doloris variante, ſortiuntur eventum. Præterea contumaces vigilias ſi exceperit tuſſis, funeſtum, ſi AVICENNÆ (*δ*) fides, nam hæc mutuas operas in perni-

ciem tradunt; cùm & tuſſis ſomnum excutiat, & ſomni vacuitas tuſſim acuat. Hæc ille. Qvi & hoc addidit: Si qvis ſomni expers, ferè viginti dies in langvorem & tremorem & ſpaſmum trahatur, indicium fore exhauſtum eſſe cerebrum ſpiritibus animalibus, & valdè malum eſſe. Notentur verò illa cum ſuis accidentibus. Nam ſine illis diuturniores nonnunqvam vigiliæ ſine diſcrimine extremo datæ ſunt. Et licèt vigiliæ in acceſſionibus febrium naturales in ipſis initiis idoneæ ſint; tamen vigiliæ in febribus acutis ſymptomaticæ ferè ſemper exitioſæ ſunt: non modò in earum principiis, verùm & in reliqvis ipſarum temporibus. GALEN. (†) Et qvando judicatio accedit in morbis acutis, vigilias intendi idem teſtatur GALENUS. (*) Tunc enim ægri graviter ſe habent & vehementiùs febricitant.

(α) Franc. Valleriola in loc. comm. med. l. 2. c. 9. (β) Heurnius de cap. morb. c. ſæpiùs laudato. (γ. δ) Avic. loc. ſæp. cit. (†) Galen. comment. 2. l. Epid. tempeſt. 3. comm. 16. (*) Idem 4. Aphor. comm. 7. & hinc Foreſtus.

§. XLVI. Sed & alia porrò præſentiri & prædici poterunt. v. g. Qvum GALENUS (ε) vigiliis ætatem conſiſtentem faciliùs offendi crediderit & tradiderit, qvòd juvenes magis obſiſtant cauſis exſiccantibus. Qvamobrem in juvenibus faciliùs, in ſenibus valdè raro liberationem ab hoc malo ſcimus ſperari. Qvod illi à nudâ ferè cerebri calidiore qvalitate, nec adeò radicatâ ſiccitate ad pervigilandum adigantur, qvam detur refrigerare & humectare. At verò ſenum ſiccitas, cùm jam ſit in habitu, incurabilis plerumqve eſt. Nam ſenes, licèt vigiliis videantur adſveti, eæq; continuò iſtis inſint, qvia ſenectus curarum, malum hoc provocantium, plena eſt, ut hæc propria paſſio ſenilis ætatis GALENO (ε) poſt HIPPOCRATEM fuerit judicata. Atqvi conſvetæ vigiliæ inſvetis toleratu faciliores, juxta eundem GALENUM: (ε) Verùm enimverò cùm indies magis magisq; deficiant ſenes, fiantq; ſicciores & ſolicitiores, vireſq; flaccidiores, minusq; tolerantes, minùs qvoqve ſpei ſupereſſe poterit. Cùm vel illi jam tum, qvi ſtatâ ſunt ætate, ſi ſaltem ultra qvintum ſeptenarium pervenerint, licèt omnia vitæ munia æqvè, atq; illi, qvi in vigente conſiſtunt, conentur peragere, non tamen eodem modo ad labores ſufficiant, præſertim verò vigiliis plus, qvàm illi, (authore GALENO ζ) offendantur.

(ε. ε) Galen. comment. 30. & 31. ad lib. 3. aphoriſm. Hippocr. (ζ) Idem comm. 50. l. 2. aphor.

§. XLVII. Nec obſtat, qvòd ſenes frigidiores ſint & humidiores,

at-

atqve conſeqventer ſomno appareant aptiores. Reſpondetur, illos ex accidenti eſſe humidiores, per ſe verò ſicciores. Deinde humiditas qvoqve ſenilis cerebri non eſt ſvavis anathymiaſis, ſed pituitoſa & ferè ſalſa ſuperfluitas, ſpiritus animales magis ad pervigilandum concitans. Et ſi ſentina illa non ſit ſalſa, nec ſtatim qvoqve excernatur, pronos qvidem aliqvo pacto in ſomnum facit ſenes, ſed parùm præſtat; movet & nihil promovet, ſeu ut jucundè HEURNIUS (η) explicat: Somniculoſi qvidem ſunt ſenes, ſed non dormiunt. Frigiditatem eorum qvod attinet, regerunt alii: (θ) ſomnum primariò per humidam qvandam evaporationem convenientem generari, ſecundariò verò per frigerationem.

(η) Heurnius ad 31. aphor. Hippocr. l. 2. (θ) Nic. Maſſa tom. 1. medicin. Epiſt. 3. & Joann. Langius Epiſt. med. 26. lib. 1.

§. XLVIII. Rectiſſimè igitur GALENUS (ι) reſcripſit; Ex ætatibus pueritia qvidem ob humorem eſt ſomnolenta; ſenes verò ob ariditatem vigiliis vexantur. Qvò magis mirum eſt, infantes vigiliis vexari, ut HIPPOCRATES qvoqve has inter ætatis teneræ morbos (κ) recenſuerit, qvos vi torminum & tuſſi, etiam in aliis ætatibus periculoſa, concitari volunt: cùm ſi rectè illi ſe habeant, ſint admodùm ob humiditatem ſuam ſomniculoſi. Eamq; ipſam ob cauſam, qvòd adeò contra naturam infantum & minimè congener pueris hic ſit affectus, his ipſis calamitoſæ ſunt vigiliæ; cùm aliâs graviſſimi eorundem morbi ſomno tollantur, qvales, acuti præſertim morbi, in aliis ætatibus vel excretione, vel abſceſſu finiantur. Ob dolores itaqve, & inde provenientes vigilias atqve inflammationes non modò hâc ætate puerulli febricitant, verùm etiam propter eadem & propter crudum alimentum, nec ſatis roboratas nervoſas partes, convulſiones iisdem (ſecundùm GALENUM λ) accidunt; qvæ ſi in aliis qvoqve ætatibus funeſtæ ſunt, qvantò magis in hâc tenellâ erunt.

(ι) Galenus lib. 3. de loc. affect. c. 2. (κ) Hippocr. aphoriſ. 24. l. 3. (λ) Galenus ad citatum hunc aphoriſm.

§. XLIX. *Relictis nunc ſignis* (ſed non ut transfugæ milites ſolent) *ad geminos fontis Therapevtici rivulos, indicationum ordinem & remediorum uſurpationem transeundum eſt.* Qvum verò *duæ ſummæ* ſint ἐνδείξεις, qvibus recta ratio, qvid ad ſomnum ſanitatémq; reparandam agendum & occipiendum ſit, dictitet: *Prima* qvidem *à viribus, altera ab effectibus contra naturam* ſumenda, & vires qvidem ante

 omnia

omnia attendendæ, qvod earum conſervandarum gratiâ ipſa curatio (docente GALENO μ) inſtituatur: Jam verò vigilia vitium vehemens cùm ſit, ratione dignitatis, (uti ſentit CAPIVACCIUS) eò qvòd ad cerebrum pertineat, & ſi vigilia producatur, accedat vehementia facultatis, diſſolvens corpus, dum caliditas evaporans ſecum ducit non exiguas corporeæ ſubſtantiæ particulas (ν): Ut non ſine ratione dicantur à GALENO (ξ) vigiliæ qvæ vires lædant; iisq; collapſis & validiſſimè proſtratis, hominem qvoq; collabi & proſterni neceſſe ſit. Nam qvovis modo excedens pervigilium vires dejicit, tàm vitales, qvàm animales & naturales: ſpiritibus reſolutis marcorem, caloris extinctionem, & tandem mortem, ſi huic non obſiſtatur, infert. Qvocirca hoc ſymptoma medicam omninò manum poſtulat, & qvia præcipuum eſt inter accidentia, qvæ in læſione actionum contingunt, itaqve ad ſe totam curationem convertit. Nam qvum *tria* GALENO (o) enumerentur, qvæ *vires collidant: Vigiliæ, dolor, atqve immodica evacuatio*; ſi jam unitrina iſta concurrant, qvemadmodum in hoc affectu non rarò concurrunt, eò magis hypnotica, anodyna & narcotica, ſed adhibitâ convenienti cautione, flagitabunt.

(μ) Galenus lib. 9. method. med. Capivac. l. cit. (ν) Galenus c. 6. l. 7. method. med. comm. ult. l. 2. de ratione vict. (ξ) Idem capp. 1. & 5. lib. 12. method. (o) Idem ibidem cap. 1. lib. 12. meth. med.

§. L. Virtute ægri in tam valido & virium jugulum petente malo benè priùs perpensâ, & ſecundùm circumſtantes temperamenti, ætatis, ſexûs, conſvetudinis ægroti, regionis, anni temporis, aëris conſtitutionis &c. *coindicationes* præconſideratâ: ea ſi robuſtior adhuc fuerit, alacriùs intentiones reliqvas perſeqvi poterimus: ſi mediocris, ſervanda illa, nec injuriâ ſecuritatéve noſtrâ atterenda: ſin verò eandem fractam & deploratam accipiemus, omnem ad ſe curam noſtram provocabit. Nam ſi maximè plethora pituitoſa, vel cacochymia bilioſa evacuationem indicent, ne id tamen fiat, qvod intendebatur, imbecillitas virium *contraindicatione* ſuâ prohibet. Qvando verò magis magisq; vires pervigilio exedantur, ceu *ὕδωρ βορὸν καὶ ἀγρυπνία βορὸν* HIPPOCRATI (π) eſt, ab hâc virtutis indicatione ad alteram ab effectu contra naturam, ſeu ab ipſo morbo morbiq; cauſis progrediendum eſt.

(π) Hippocrates 6. Epidem. 4. 20.

§. LI. Nam qvum adſit effuſio ſpirituum cerebri, orietur indicatio

tio

tio inhibendi illos ſpiritus, ne ita ſe pandant; ſed hoc fieri neqvit, niſi priùs ejus accidantur cauſæ. Cauſæ ut fuerint: ita opponenda ſunt media. Nam interdum & calidis (veriùs frigidis) utendum, iterumq; humidis ac aperientibus (inqvit HEURNIUS.) Si vigilia fiat ob vaporem non condenſatum, idq; ob intemperiem, oritur indicatio alterandi per contrarium, qvare modò refrigerandum, modò humectandum. Si fiat vigilia, qvoniam vapor condenſatus abſumitur, à ſiccitate oritur indicatio humectandi: ſi vigilia fiat, qvoniam vapor alimenti in caput non trahitur. Et ſi id fiat, qvoniam retrahitur à dolore, patet, qvid dolor indicet. Si autem fiat à materiâ, qvid indicet materiæ ſpecies, vitium, cauſa generans, etiam patet, & ſatis peccans materia ſui remotionem indicat. Si autem eveniat vigilia, qvoniam vapor alimenti ſimpliciter deficit, indicatur præſidium generans vaporem alimentarium, monente CAPIVACCIO.

Heurnius & Capivacc. l. l. ſæpiùs commendatis.

§. LII. Sed ratione materiæ, qvatenus vel ſola, vel cum intemperie, & qvidem utrobiq; in motu eſt, duplex curandi ſcopus (juxta HIPPOCRATEM ϱ) intimatur ſervandus: prior in humore ad cerebrum etiamnum influente ſiſtendo, alter in humore parti eidem laboranti influxo vacuando vel derivando; ubi etiam reſolventia interdum conducunt. Fluit autem ſeu fertur ad cerebrum materia vel transmisſione ab aliqvâ parte, qvæ ſui cuſtodiam etiam indicat, ne ampliùs materiam ejusmodi mittat: vel attractione, idq; ob dolorem partis, qvi mitigationem per anodyna, & ea, qvæ eundem demulcere posſunt, denotat: vel ob calorem, qvi ſibi alterationem & refrigerationem poſtulat. Qvæ duo materia in genere ratione qvalitatum primarum deſiderat: ſi verò eadem copiâ ſeu qvantitate peccet, aut parti alendæ inepta eſt, removeri omninò & imminui poſcit.

(ϱ) Hippocrates lib. de locis.

§. LIII. Ab affectæ partis ſubſtantiâ, functione, ſtructurâ ſeu fabricâ, ſenſu & ſitu non incongruè haurientur qvoq; indicationes. Ratio igitur cerebri in corpore humano nobilisſimi mitibus medicaminibus habenda, & diligenter diſpiciendum, ne nimiùm refrigerantibus indulgentes in lethargum deducamus ægrum, & ita ultima fiant pejora primis. Qvoniam autem cerebrum admodùm firmo munitum ſit vallo penetrantibus locus qvoqve faciendus: Qvare GALE-

NUS,

nus (σ) pervigilio infeſtanti perfuſiones ex papaveris capitibus fontis ritu illidere conſulens, coronali ſuturæ eas, & qvorumcunq; medicamentorum vim ad cerebrum exactè deſcendere volumus, applicare juſſit. Spiritus animales recreabuntur odoriferis, refrigerantibus, enitendúmq;, ut materia morbifica per palatum & nares, tanqvam legitima & à naturâ facta cerebri emunctoria educatur.

Vid. D. Salzmann diſp. cit. (σ) Galen. l. 13. meth. med.

§. LIV. Indicationes ab ipſo affectu petitas qvod attinet, qvatenus multorum morborum & ſymptomatum fœcunda Vigilia puerpera eſt, atq; illa morbum augendi & vires magis imminuendi polleant facultate: Urgentior indicatio erit præferenda, & illa præſertim, qvæ alterius curationem prohibet: & ſi indicationes qvodammodò pugnent invicem, mixta inſtituenda curatio, & talis, qvæ neutri officiat, ſed utriq; qvodammodò proſit. In tempore verò & vel ipſo morbi principio ſi qvid movendum, cum Hippocrate (τ) moveatur, anteqvam totam naturæ œconomiam labefactet. Prout juxta Avicennam (υ) è longâ vigiliâ contingit inſomnietas (abſoluta,) anxietatem & animæ generans anguſtiam, ipſa qvoqve diſſolvit ſpiritûs, ſplendorem colorémq; corporis emaciati reddit pallidum, oculósq; profundos; tùm verò nocet digeſtioni, bonam cerebri temperaturam ſiccitate corrumpit, ſensûs debilitat, mentem tollit atqve diſturbat, vires dejicit, humores adurit, & acutos morbos facit. Præterqvam enim, qvod ut inqvit Hippocrates, (φ) fortis vigilia cibum, potum, & qvæ aſſumuntur, omnia cruda & coctionis expertia relinqvat, atqve per alios morbos unà corpus faciat infirmum & feritatem humoribus majorem induens, novam qvoqve ſymptomatum graviorum ſegetem inducat; certè per ſe ſomni iſta vacuitas tam moleſta eſt, ut Heurnius qvoqve (χ) neſcierit nunqvid tædioſius, extra dolorem, homini evenire poſſit, qvàm ſi in ſomnum ſolvi neqveat. Qvare *Principiis obſta, ſero* (caprillo) *medicina paratur*. Qvod ad indicationes ergò præſervatorias, hæ capiuntur (ψ) à causâ nondum actu morboſâ. Hæc duplex eſt, alia penes humorem, alia penes contentum: ratione humoris, (qvæ cauſa qvoq; vigilias augens, habet rationem indicantis vitalis) evacuandum eſt: ratione contenti, alterandum pro diverſitate intemperiei.

(τ) Hippocr. aph. 24. ſ. 1. (υ) Avicenn. lib. 1. fen. 2. doctrina 2. c. 13. pag. in fol. 67. in 4to 170. item primæ partis cantic. tract. 1. fol. 1062. (φ) Hippocrat. 4. Acut. (χ) Heurn. c. 16. initiô. (ψ) Hildesheim ſpicil. 4. de Vigil.

§. LV.

§. LV. Breviter nunc ultimo loco *Curationis methodum, pro triplici auxiliorum materiâ, tribus qvoqve partibus abſolvendam proponamus.* Totuplex enim eſt ἡ θεραπευτικὴ, ceu διαιτητικὴ, qvæ victûs ratione, χειρουργικὴ, qvæ manibus & φαρμακευτικὴ, qvæ medicamentis opiculatur vigiliásq; proſcribit. Qvæ ultima licèt merito ſuo princeps ſit, ut triariam tamē in iſta triga poſt principia ſupremo loco ſuccenturiabimus.

§. LVI. Diætetica curandi ratio conſiſtit in legitimâ rerum non-naturalium obſervatione & diſpoſitione: de qvâ, licèt in ſuperioribus aliqvid jam tum, qvoad Hygienes utrumq; membrum, §. XX. XXI. XXII. &c. prætactum præfatúmq; ſit: ſicuti qvoqve in cauſis ita dictis externis §. XXIX. plura ſubjecimus, qvomodo à rerum iſtarum non-naturalium errore & malâ adminiſtratione vigiliæ procreentur. Tollentur igitur hæ ipſæ vice versâ rectâ bonâq; iſtarum rerum ad normam præſcriptam uſurpatione, ſi victus probus imperetur, qvi cum cauſa vigiliarum pugnet & naturam propugnet. Qvæ diætæ qvalitas ex morbi ſpecie & laborantis naturâ indicatur: proindéq; varia pro cauſæ varietate eſt; ferè tamen humida & frigida reqviretur.

§. LVII. Cumprimis verò *aëre* obſcuro & temperato opus eſt, qvi ad frigidam tamen potiùs inclinet conſtitutionem, qvam niſi anni tempus ſubminiſtret, arte comparandus, refrigerantibus atq; humectantibus ſomniferiſq; alterandus eſt, ſpargendo per cubiculū ſeu cōclave flores viol. roſar. nymph. aut folia lactucæ ſalicis, pampinos, juncos. Poſſumus irrorare cubiculū ſimplici aqvâ, vel aqvâ roſarū, nymph. aut fontē & ſilanum aqvarū frigidarum, ut juxta lentè cadat fabricare, cujus illabentis in ſubjectam pelvim murmure animus à variis cogitationibus vertatur in unius ſonitus animadverſionem: Id qvod etiam aqvæ ex vaſe in vas transfuſione impetrabitur. Blandioris inſuper auræ murmur inter arbuſta, vel avicularum minurientium, aut ſvavis voculæ fidiúmq; modulatio ægrum demulceat. Pythagorici enim (ut hoc mihi de ſuo largiatur FORESTUS, ψ) cùm vellent diurnas curas ſomno mollire, qvibusdam cantionibus muſicâ ratione ad id concinnatis, utebantur. Profectò admiranda eſt humano ſpiritui cum ſymphoniæ modulis affinitas, & ad ſolandos labores pulcrum naturæ munus. Auditoris qvippe animus initiò ſe colligit, & qvandam facit in cordis ſucco collectus ſvavem evaporationem, qvæ surſum concedens cerebrum irriget. Odorem qvoqve captare jubet HEURNIUS ex nodulo, cui inſint flores violarum, nymphææ, cujusq; pugillus, corticum mandragoræ drachmæ binæ, ſeminis anethi drachma & croci ſcriptulus: fiat pulvis, qvi ſindone excipiatur. Spongia etiam ſomnifera nonnunqvam naribus apponatur.

(ψ) *Petrus Foreſtus l. 10. de cereb. morb. obſ. 36. Heurnius l. cit.*

§. LVIII. *Cibo* utendum refrigerante & humectante faciliſq; concoctionis, nec admodùm tenui, ſed paulò largiore, (tametſi qvidam à parciore meliùs ſvavi ſomno mergantur) potiùs elixo, qvàm aſſo. Admittenda caro vitulina, hædina & agnina: leporina commendatur hîc CATONI, & eſus pullorum, piſciúmq; ſaxatilium & fluviatilium, elixi qvoqve gallinacei jus adjectâ lactucâ, nec ejus qvoqve carnes contemnendæ, præſertim qvi non coëat ſeu caponis, tametſi iſte nocturnis & diurnis ſuis clangoribus à pervigilantibus graviter mulctari & devorari magis metuerit, ut ille Æſculapio ſic mactetur, qvemadmodum caper Bacho. Lactuca verò cumprimis commoda poſtremis epulis perhibetur. Ex qvo intelligitur MARTIALIS epigramma:

Claudere qvæ cœnas lactuca ſolebat avorum, (ad ſomnum invitandum)
Dic mihi cur noſtras inchoat illa dapes? (ad orexin & ingluviem ſtimulandam.)

 Qvo

Qvo loco non poſſum tranſmittere inſigne eulogium lactucarum Galenicum, (*w*) & ejusdem Archiatri ſtudiis qvoqve attractam inſomniam. In juventute, infit, qvoniam aſſiduè os ventriculi bile effervescebat, æſtus moderandi gratiâ lactucas eſitabam: qvum autem ad provectam ætatem pervenisſem, olus hoc contrà, qvam in juventute, ſomnum jam ſtudio accerſenti mihi auxilio fuit: qvippe qvi etiamnum juvenis, lucubrandi gratiâ, vigiliis dedita opera me asſvefeceram, declinante jam ætate, ipſa ex ſe inſomni, graviùs hoc incommodo moleſtabar: adversùs qvod unicum præſidium & alexipharmacũ præſentisſimum lactuca veſperi manducata ſemper fuit.

(*w*) *GALENUS lib.* 2 *de aliment. Facult. c.* 40.

§. LIX. Eodem pacto & pari ratione portulacas, aſparagos coctos cum aceto & oleo, item cucurbitas & pepones auxiliari volunt: Contrà nocere fabas, lentes, braſſicam, erucam, allium, cæpas, piper & talia aromata, de qvibus cavendis nos anteà diximus. Ex hordei farinâ & lacte acido fiat pulticula tenuis, vel ex cereviſiâ potiùs, aut aqvâ hordei, in qvâ capita papaveris tria vel qvatuor coxére, hancq́ cœnet: convenit qvoqve oryza cocta cum lacte, & lacticinia, juxta HERC. SAX. (*a*) omnia, amygdalatum præcipuè cum farina amyli. Amygdalis qvippe contingit optata in caput evaporatio. Qvem in finem FORESTUS & HEURNIUS amygdalatum præſcribunt, de qvo ſub veſperam cubitum concedens æger ſumat. Rec. amygdalorum dulcium infuſorum in aqvâ roſatâ, aut ſaltem aqvâ calidâ, ut cortices repurgentur, hordei mundati cocti, dum qvàm maximè inturguit, ſingulas binas uncias, qvatuor ſeminum frigid. majorum mundatorum, ſeminis lactucæ & papaveris albi cujusq; drachmam: ſimul cuncta contundantur & parùm coqvantur, & dulcor affletur ſaccharo. Aſpergantur etiam cibi ſemunciâ emulſionis ſeminum papaveris albi. Nam ORIBASIUS tantùm ſorbitioni indit ſeminis papaveris albi, qvantum tria impleat cochlearia. Sicut & DIOSCORIDES papaveris erratici qvinqve ſexve capita. in vini tribus cyathis decocta, usqve dum duæ tantùm partes ſuperſint, bibenda his conſuluit, qvos ſopire voluit. Vel accepit uncias ij. ſeminis papaveris, iisq́; tritis ſuperfudit aqvæ ſelibram, poſt octavam horam emulgens aqvam, propinavit cum ſaccharo.

(*a*) *Herc. Saxoria prælect. pract. part.* 1. *cap.* 10. *pag.* 52. *Heurn. & Foreſt. l. cit.*

§. LX. Utq; *de potu* ſpeciatim qvid afferamus, cereviſia hîc commendanda eſt Serveſtana, non vinum, præſertim vetus & meracum, qvod per ſe vigilias inducit, aqvoſum tamen album, qvum caput minimè offendat, & melancholiæ proſit, illis, qvibus lac esſe ſolet, permittendum. Nam & AVICENNAS vinum Uſneæ ſomnum conciliare ait, ſed à vinis antiqvis abstinendum. Vinum tamen anethinum & petroſelinum provocare ſomnum, ſcribit AUCTOR Γεωπονικῶν. (*b*) HOR. AUGENIUS (*c*) potum lactis caprini omnibus prætulit, eò qvòd corpus nutrimento indigeat, & habitus ſiccus humectationem corporis exuat, ad hæc bilis prætorrida expurgationem indicet, his omnibus ſatisfacere lac iſtud caprinum ait, hoc modo bibitum. Primis tribus diebus ejus recenter mulcti libræ tres aut duæ cum ſacchari albisſimi unc. ſem & ſalis ſcrup. uno hauſtæ, reddunt alvum fluidam, bilémq; expurgant & humectant: aliis deinceps qvinqve diebus ſcopus eſt magis nutrire, minùs abluere, ſumatur ergò libra una cum drachmis duabus ſacchari albiſs. & ſalis ſcrupulo ſ. Tandem usqve ad vigeſimum uncias ſex aut octo propinat cum drachma una ſacchari: qvod in illis tum humectatio, tum nutritio corporis, tum etiam contemperatio vigere

gere debeat. Nec impedit, qvod GALENUS (*d*) lac caprinum non prodeſſe imbecilli capiti dixerit, non enim de omni imbecillitate, ſed de aliqva, utputa, qvam humor pituitoſus procreat, intelligendus.

(*b*) *Auctor Γεωπονικῶν fol.* 206. *&* 208. *qvæ ſcripta Heurnio viſa Caſſii Dionyſii.*
(*c*) *Horat. Augenius Epiſt. medic.* 7. *lib.* 5. (*d*) *Gal. lib. de alimentorum facult.*

§. LXI. *Motum* commendant AVICENNAS & PAULUS, ſi nimirum à valido exercitio fiat inſignis alimenti colliqvatio, unde vapor copioſus petat caput & ſomnum excitet. FORESTUS contra graves labores vitari imperavit, utq; potiùs ſupra lectum molliuſculum tranqvillam *qvietem* æger captaret, ſvaſit; ab immoderato enim exercitio & labore magis exhauritur corpus, & phrenitis induci poſſet: Qvies verò ad humectanda corpora inſitámq; humiditatem conſervandam apta nata eſt. GALENUS utrumq; viciſſatim intendens, conſuluit, ut fiat ſtrepitus coram ægro, & loris ſolutum facilibus arctè ejus nectantur manus & pedes ad articulos, dũ defatigentur: pòſt ſubitò liberentur & eodem temporis momento, ſubductis candelis, qvæ ægro multæ admotæ fuére, indicetur ſilentium. Additq; HEURNIUS ſpem eſſe, ut ex ſubitario illo motu, rapto calore ad penetralia, obrepat ſomnus: ſed cautionem adhibendam, ne chiragræ vel podagræ obnoxius ſit æger, neqve ulcera habeant ſtringendæ partes. Pleriqve ſvadent, ægrum habendum in loco à turbis & tumultibus alieno: ubi nec cantus gallorum, nec latratus canum, hinnitus eqvorum, curruum ſtrepitus, tubarum clangores, aut alii moleſtiores ſonitus, ut bombardarum, ſomno maximoperè infenſi, exaudiri poſſint. OCTAVIUS HORATIANUS lectum hujusmodi pervigilantibus ſuſpendnndum cenſet, & ad vicem geſtationis agitandum: freqventi enim ex illâ lecti motione ſomnos dulciſſimos procuratum iri.

§. LXII. Vigiliæ à principio, dum adhuc ut res non-naturalis ſaltem & occaſio futuræ inſomniæ morboſæ ſeſe habuerat, tempeſtivè ſicubi leviter aberrâſſet, medendum fuiſſet: nunc in claſſem præternaturalium transſcripta, in gyrum & ad primum ſtatum nonniſi depulſo morbo revocari poterit. Cavendum verò ſummoperè, ne dum ſomni grati qvietem prolectare cupimus, ſoporis gravis laborem incurramus, inter qvæ duo qvum (teſte GALENO *e*) magna detur differentia: optandum foret, ut pariter vigilias diſcriminare liceret vocabulo genuino. Sed qvando, ut alibi innuimus, tam propinqvæ ſunt, ut ſecundùm AVICENNAM (*f*) è vigiliâ longâ inſomnietas generetur perfecta, cognomines qvoqve vigilias ambas eſſe ſinamus.

(*e*) *Galenus lib.* 2. *de alim facult. c.* 40. (*f*) *Avicenn.* 1. *part. cant. tract.* 1.

§. LXIII. *Repletio* hìc plurimùm nocet, è contrario *inanitio* qvodammodo juvat, qvod & ECCLESIASTICUS (*g*) noverat: Πόνος ἀγρυπνίας καὶ χόλερα καὶ στρόφος μετὰ ἀνδρὸς ἀπλήστου· Labor vigiliarum & cholera & tormina comitantur hominem inexpletum: Qvod ſi victus es vi ciborum, ſurge & è medio abiens vomito, & poteris acqvieſcere. Si igitur alvus qvoqve ſponte non ſuum cottidie faciat officium, aut urina è veſica excernatur, pharmacia hoc ipſum tentandum, qvæ jam ſeqvetur. Vitanda qvoqve *Venus* & immoderatum *ſtudium*; nec non omnes *animi affectus* propellendi, ira avertenda, & qvæcunqve metum aut dolorem afferunt; qvæ verò gaudium accerſunt, allicienda ſedulò ad ſomnum invitandum præclarè facientia, *Lotiones brachiorum, manuum & pedum*, qvam optimè hoc malum juvantes, huc qvoq; ſpectabant, ſed qvia medicamentoſæ ſunt, ad pharmaciam reſervamus.

§. LXIV. *Victûs ratione perfectâ, ad alia transimus præſidia.* Qvoniam autem certum & omnibus manifeſtum, ut & in indicationibus notatum, morbum ejusq; cauſam tollendam, dubium interim occurrit, dum Autores maximè inter ſe diſcrepant, qvibus potisſimùm inſtrumentis hoc perficiendum, *Utrum ſectione venæ, an verò pugnante pharmaco, an utroq; ſimul?* Qvare *è Chirurgia*, qvæ qvamlibet qvidem manûs ſignificat operationem, ſed unam tamen venæ ſectionem κατ' ἐξοχὴν plerunq; connotat, qvòd ea commune ſit authore GALENO (*h*) auxilium eorum, qvi ex plenitudine fiant morborum, & qvidem evacuatio omnium humorum æqvaliter exqviſitisſima, *Phlebotomiam* asſumamus, *& nunqvid in vigilia, ut ſomnus concitetur, conveniat?* disqviramus.

(*g*) *Syrac 31.* (*h*) *Galen. in aphor. 47 l. 6. & in aphor. 17. l. 2.*

§. LXV. GALENUS qvidem in hoc ipſo affectu, ſi virtus valida ſit, ac nihil aliud prohibeat, ut crudi humoris copia, vel ætas puerilis, vel anni tempus, vel regio, in qva ſit extremus calor, vel frigus, ſtatim ab initio venam tundi jusſit: atqve hoc præſidium commune utriqve vitio, & ei, qvod cum ſopore, & ei, qvod cum vigiliis incidit, pronunciavit (*i*). ASCLEPIADES è diametro illos, qvi phreniticis & pervigilantibus ſangvinem per phlebotomiam detrahere inſtituunt, homicidas appellare non veretur. CAPIVACCIO venæ ſectio non probatur, niſi vigilia comitetur morbum, cujus cauſâ vena ſit ſecanda, ut in phrenitide, in febribus. Cui ſubſcribit etiam FORESTUS, tametſi ab ipſius Præceptore BEN. FAVENTINO in utramqve partem fuerit diſputatum. Atqve ita qvoqve GALENUM de phrenitide cum vigiliis complicata, ibidem loqvi certum eſt. Nam qvamvis poſt phlebotomiam corpora frigidiora reddantur, illa frigiditas tamen minimè ſomnum conciliat; multóq; minùs ſangvinis detractio: præſertim qvum vigilia excedens ſit naturâ biliosa, ea ipſa potiùs contemperanda & expurganda eſt. Usqve adeò, ut ſi phlebotomia qvoqve dicto modo adhibenda veniret, non tamen ante univerſi corporis pharmaceuticam evacuationem, ſi alia id permittant, (GALENO ita qvoqve volente *k*) adminiſtranda esſet. Non alienum qvoqve fore CELSUS (*) judicavit, ſi ubi neqve mens conſtet, neqve ſomnus accedat, & ſangvis anteà non misſus ſit, occipitio inciſo, *cucurbitulam* admoveas, qvæ qvia relevet morbum, (phrenitin) posſit & ſomnum facere. Sed nec illud auxilium ingenti periculo videtur carere, itaqve alienum omninò credendum.

(*i*) *Galen. l. 13. meth. med. Capivaccius & Foreſtus l. cit. Ben. Fav. c. proprio de vigiliis exced.* (*k*) *Galen. lib. 1. de compoſ. medic. ſecundùm locos. l. 3. de loc. affect.*

(*) *Celſus l. 3. c. 18.*

§. LXVI. *Tertia*, poſtrema, ſed primaria, *curationis pars in legitima pharmacorum adminiſtratione* fundata adhuc reſtat. Cùm verò medicamenta ſint vel κενωτικὰ, vel ἀλλοιωτικά. Illa cauſæ morbificæ detrahendæ, hæc morbo propellendo dicata. *De evacuantibus priùs.* Num vitioſi humores in caput decubuerint purgatione, utiq; auferendi ſunt. Qvamvis alicui dubium ſuboriri posſet, annon medicamenta evacuantia ſint formidanda, qvòd ea ferè ſuâ naturâ ſint calida, & affectum hunc pariter calidum augere, adeóq; inflammationem urgere posſint. Sed ſecurè purgantia adhiberi posſunt, qvæ aut calida non ſunt, aut parùm caliditatis participent: & ſi calida qvoqvo modo ſint, admiſcenda ſunt frigida, & levitatis gradus non transeundus. Siq; malum non ſit adeò ferox, & materiam tamen admixtam habeat, hæc ipſa

qvi-

qvidem erit evacuanda, ſed bile prius contemperata, vel ſi adſit pituita ſalſa, ea prius concocta; qvare à digeſtione ſeu humorum peccantium præparatione inchoabimus, dehinc ad evacuantia præſcripta deveniendum.

§. LXVII. Ita ergò *ſi pituita ſalſa mater noxæ fuerit, ea parabitur ad excluſionem* ſyrupo cichorei, vel endiviæ, aut de ſoncho & melle violato vel roſato, ex decocto cichoraceo & fumariæ, lupulorum, boraginis, casſuthæ, radicum aperitivarum, paſſularum, glycirrhizæ, polypodii, ſeminis carthami, buglosſ. cum ſyrupo Bizantino ſine aceto, melle viol. roſ. & melleros, atq; ſimilibus. *Dein purgetur* pilulis aureis cum pilulis de fumariâ, vel de hiera cum agarico & rhabarbaro: vel pilulis asſairet Ut Rec. pilularum aurearum & cochiarum ſingulos ſcriptulos, dacrydii grana tria vel qvatuor: Fiant pilulæ qvinqve. Vel accipe diacatholici unciam, diaphænici ſemunciam, electuarii de ſucco roſarum drachmas duas: cum mel. e violaceo, vel ſyrupo de cichoreo cum rhabarbaro, fiat inſtar opiatæ, addi poteſt thurbith vel rhabarbarum. Deinde theriacam novellam, vel recentatam Antonini exemplo ſumat. *Si vero bilis fuerit ſoboles pervigilium, paretur excluſione cichoraceis*: Rec. Aqvam hordei benè cocti, huic infunde folia cichorei & ſemen ejus, ita & endiviam ejusq; ſemen, & ſemen lactucæ, foliáq; buglosſ. vel ſeminum majorum qvatuor & papaveris drachmam, atqve etiam tamarindos. Fiat ex his maceratio & emulſio: cui adjice ſyrupum nymphææ, violarum, granatorum, acetoſæ vel papaveris. Vel accipe foliorum lactucæ, malvæ, ſalicis, cujusq; pugillum, coqve ex juſculo pulli & ſumat æger. Petulantia bilis ita retusâ, purgetur deinde: Rec. diacat. ſcrup. vj. elect. de ſucco roſ. ſcrup. ij. cum unc. iiij. ſeri lactis. Vel Rec. casſiæ, mannæ, palpæ tamarindorum, diacatholici, electuarii de ſucco roſarum ana unc. ſem. cum ſyrupo de ſucco cichorei cum rhabarbaro, q. ſ. fiat inſtar opiatæ liqvidæ: ſumat alternis diebus cochlearium. Addi poteſt rhabarbarum, & hæc etiam ſolvi posſunt inſtar lactis caprilli. Neqve decocta ſaltem, ſed etiam *enemata*, humores vitioſos alterantia, dejicientia, corpusq; refrigerantia ex herbis refrig. & bilem digerentibus, admittentur, ut ſunt herb. endiv. ſcariol. intyb. cichor. malv. lactuc. acetoſ. ſpinach. atripl. gram. aſparag. lupuli, adianth. capill. Ven. fumar. thym. epithym. ex fructibus pruna ſebeſten, jujub. tamarind. ex ſem. iiij. frigid. muc. pſyll. ſcariol. endiv. cichor. hordei, flor. roſ. viol. borrag. buglosſ. cichor. nymph. qvibus adjiciantur ol. viol. casſia extracta, diacatholic. elect. lenit. manna cum melle violaceo & ſalis momento.

Heurnius c. 19. de morb. cap. pag. 133. & 134. Foreſtus de morb. cerebri obſ. 35. f. 316.

§. LXIIX. Eductâ cacochymicâ materiâ biliosâ, vel etiam ſalsâ pituitosâ, ſi pro mitigatione nimiæ caliditatis & prohibitione ulterioris affluxus, vigiliis cumprimis conveniens esſe GALENUS (*l*) duxit, ſi *oxyrrhodinum* in principio admoveas, qvòd repellendus à capite humor ſit, qvisqvis is fuerit. Fieri verò illud poteſt ex aq. roſar. ol. roſar. violar. nymph. aq. ſolan. plantag. nymph. admiſcendo camphor. & parùm aceti, qvo efficaciùs penetret. apponatur fronti, ſyncipiti & temporibus; & qvidem ex AETII ſententiâ æſtate tepidè, hyeme verò moderatè calidè. Vitanda tamen ejus nimia qvantitas, ne ſiccitas dolorem intendat: neve nimio rerum frigidarum & repellentium uſu, qvem dormire volumus, ſecundùm CELSUM (*m*) à ſomno poſteà excitare neqveamus, tranſeunte in vitium contrarium lethargicum vigilia. Nam juxta AVERRHOEM tutò calefit caput, at non citra periculum refrigeratur. Qvô reſpe-

ſpectu JOANN. MATTHÆus (n) CARDANI (o) tolerandam ſententiam voluit: faciliùs esſe vigilanti ſomnum conciliare, qvàm dormientem à ſomno excitare. Si ſcil. per ſomnum intelligat κῶμα inſalubrémq; ſoporem, qvem à ſomno ſalubri GALENus (p) (ut dictum) diſtinxerit.

(l) *Galen. l. 13. meth. med.* (m) *Corn. Celſus l. 3. c. 18.* (n) *Joan. Matthæus centur. enodation. difficil. qvæſt.* (o) *Hieron. Cardanus l. 3. de conſ. ſanit. c. 91.* (p) *Gal. 3. de pulſ.*

§. LXIX. Id qvod vel maximè in pervigilio illo, qvo prolixius cunctando in capite pituita moleſta eſt, obſervandum erit; ut à purgantium uſu calefaciendum atqve aperiendum meminerimus, pax ſit (inqvit HEURNIUS) à frigidorum uſu. Hinc enim eſt, qvòd AVICENNAS (q) uſus ſit oleo de croco & pulegio atq; chamæmelis. ORIBASIUS ſerpillum & melilotum coqvit ex paſſo, & capiti imponit. Hæc mulcebticâ vi ſomnum evocant, qvâ vigiliarum cauſam oppugnant, obſtructionem: non aliter ceu rhabarbarum refrigerat, eliſâ bile. Qvare qvo attenuetur ac diſcutiatur materia morbifica, fovendum ait caput ex chamæmelis, ſerpillo, pulegio in decocto, tametſi hæc & poſtremum præcipuè à CELSO (r) inter non-ſomno apta, ſed ſenſus excitantia connumeretur: qvi & ipſe tamen cum AVICENNA ungventum crocinum cum irino in caput datum ad ſomnum, qvo phrenitici ſaneſcant, prodesſe, alibi (s) tradidit.

(q) *Avic. l. 3 fen. 1. tract. 4. c6. & lib. 4. fen. 1 tr. 2. c. 20.* (r) *Celſus l. 2. c. 31.* (s) *idem l 3. c. 18.*

§. LXX. E diverſo, ſi bilioſus vapor intemperiei conſociatus fuerit calidæ, ab evacuatione, frigida foris admovenda, qvibus recreari qvoqve poteſt, qvi ex nudâ intemperie calidâ pervigilat, ut portulaca, lactuca, cucurbita, & confert oleum ſeminum recentium cucurbitæ, folia & flores nymphææ: hæc etiam coqvi & fotu admoveri posſunt. AVICENNAS (t) in vigilia, qvæ eſt ex caliditate, raſuram cucurbitæ & portulacæ & mucilaginis pſyllii & virgæ paſtoris & ſempervivi commendat. Et ſi æſtu flagret caput, adjicienda capita papaveris utriusq; & radices mandagoræ. Cautio ſit de hyoſciamo, nam caput lædit. Rec. ungventi roſati, olei violacei unc. ſem. adde miſcéq; nymphææ oleum. Vel admove capiti placentam ex roſis, oleum ex floribus cucurbitæ & liguſtri atq; populneum. Vel Rec. olei violacei nenupharini, anethini, ana ſcrup. iij. opii gr. iij. qvibus miſtis inunge tempora & nares internas. In maximo tamen uſu ad hunc ſcopum ungventum esſe populeum (ita dictum, qvod germina populi arboris alia hujus medicamenti ingredientia exſuperet) Nicolai prodidere JAC. HOLLERIUS & AN. CHRISTIANUS RIPENSIS, (u) qvi qvomodo illud fiat, ſimul deſcripsére, omniáq; in illo (præter axungiam, materiæ loco, ad contemperandum cætera, asſumtum, & vinum ad penetrationem meliorem adjunctum) refrigerare oſtendit poſterior. Qvalia frigida odoratui vult exhiberi AVIC. unde miteſcat bilis & qvodammodò pituiteſcat, ut ſi fiat irrigatus ex decocto lactuc. nymph. ſalicis, papaveris, mandragoræ cortice, & fiat illitus.

(t) *Avic. l. 3 fen. 1 tr. 4. c. 6. An. Chr. Ripenſis l. 3. enchirid. med ſect. 2. c. 12.* (u) *Jacobus Hollerius de morb. intern. lib. 1. c. 6 p. 22.*

§. LXXI. At ſicca modò intemperies cùm fatigat, utendum ait (x) HEURNIUS iis, qvibus ſpiritus torpidiores redduntur, ut oleo amygdadalino, (qvod & (y) CAPIVACCIUS cum lacte & butyro laudavit) axungiâ vitulinâ, anſerinâ, oleo violaceo: ex his fiat hapſus. Coqvatur cucurbita oleo, & in eo flores ejus macerentur. Sorbeat naribus oleum violatum cum oleo papaveris. Lavetur caput decocto malvarum, lini, al.

thææ,

thææ,chamæmeli. Vel coqvantur malvæ in oleo,ita & lactucæ,adjice qvid vini albi & dulcis,ut pervadat liqvor. AVICENNAS vult capiti admulgeri lac,vel eo recens mulcto aut calefacto caput foveatur. Sin labor & ſiccitas in vitio fuerint, præſcripta medicamenta utraq; miſce, & auribus inſtilletur aliqvid olei nymphææ, viol. cucurbitini. Senes roſaceo & anethino perungant caput, & veſpere balneum temperatum ineant à coctione. Nam qvoscunq; à ſiccitate vigilantes ipſum balneum non facit dormire,eos malæ complexionis,& in poteſtate vel ſiccitatis,vel humorum malorum,qvos balneum commoveat, illa corpora eſſe ſenſit AVICENNAS. (z)

(x) *Heurn.* (y) *Capivacc.* (z) *Avicenn. loc. cit.*

§. LXXI. Inter Topica E. varia, qvæq́; foris,purgato corpore, ad ſomnum ineſcandum adhibentur, ſummo loco ab HOMERI (α) usqve temporibus habita,tepida dulcis aqvæ lavacra.

– – – ἐπεὶ λύσαιτο, φάγοιτε, Εὑδέμεναι μαλακῶς, ἡ γὰρ δίκη ἐστὶ γερόντων.

Ut lavit,ſumpſitq́; cibum dat membra ſopori Mollibus in ſtratis,ſic fas effœta foveri.

Cumprimis verò manus & pedes fovendi fricandiq́; ſunt,qvâ frictione non modò ASCLEPIADES (β) ſomnum qvæſivit & acqviſivit; ſed & ALEXANDER (δ) inqviſivit, cur illâ ipsâ plantarum frictione ſomnus accederet. Atqve ait nervorum propagines in ſolia pedum deſinere, per qvas mulcebris illarū contractatio ad cerebrum transmiſſa,animum demulceat & ad ſomnum invitet. Pari ratione JOAN. LANGIUS (ε) de pedum lavacro ex herbarum (camomillæ, origani, pampini, ſalicis, radicum bene olentium azari,capitúmq; papaveris) decocto,per inſenſiles nervorum meatus,vapores ed cerebrum conſcendere arbitratur, idemq; tertiâ à cœnâ horâ tale ποδονίπτρον conſiliario cuidam cum magno ſucceſſu obtulit. Sicuti & J. P. PERNUMIA (ζ) in febribilioſâ vigiliis complicatâ, poſt asſumtam emulſionem papaveris cum jure lactucarum, à cœnâ lotionem extremorum cum decoctione foliorum vitium, lactucarum,ſalicis & capitum papaveris, atq; odoramento jusqviami (qvod ultimum autem omittendum ex HEURNIO diximus) præſcripſit. ESTHIUS tamen (*) HOMERI exemplo in vigiliarum inſtantiâ,ante cœnam per horam mediam lotionem à cubitis ad manus in ſufficienti aqvâ fieri juſſit, in qva corticum pav. albi M.ij. Lactucarum M.j Anethi M.ij. ſem. florum chamæmeli contuſi, priùs bullierint. Sed lotiones frigidas vigilantibus ſenſibus nihil prodeſſe, imò obeſſe plurimùm, autor eſt CRATO (η) apud SCHOLZIUM, ubi tamen & HOR. RESERUS (θ) ſolis balneis & alimentis humectantibus aridam capitis, ſive totius intemperiem perſanari demonſtravit; ibidemq; SEILERUS (ι) ſomnum lotionibus pedum & brachiorum provocari jusſit.

(α) *Homerus Odyſſ. ult.* (β) *Aſclepiades antè qvoq; citatus apud Celſum l.3.c.18.* (γ) *Alexand. Aphrodiſæus lib.2. problem.42.* (δ) *Joan. Langius Lemberg. epiſt. medic. 45. l.2. & lib.1. epiſt.26.* (ε) *Joan. Paulus Pernum. de arte curat p.665.* (ζ) *Lubertus Eſthius de medic.p.p. ſect.4,c.3.* (η) *Crato à* Crafftheim *in conſiliis med. Laurentii Scholzii fol 329.* (θ) *D. Horatius Reſerus in iisdem conſ.f.371.* (ι) *D. Abraham Seiler in Ep. medic. Scholzii fol.17. & 48.*

§. LXXII. Qvam ad rem medicinam veteri medico egregio, PLINIO VALERIANO (κ) obiter faciamus,qvem ita Librarius deſcripſerat: *Aqva foveri, in aqva papaverum capita decocta ſunt, vigiliarum morbo laborantibus, itemq; ex epiphora oculis lippientibus prodeſt.* Mendam ibi cùm ſagaciſſimus Dn. BARTHIUS perſpexisſet, tranſpoſitionem adhibendam, atqve ita, ut iſta ſanitati reſtituantur, ſcribendum ratus eſt: *In aqva papaverum capita decocta, adſunt vigiliarum morbo laborantibus. Itemq; aquâ foveri ex epiphora oculis lippientibus prodeſt.* Ubi mirum eſt, qvod MATZO PURASINUS,novus ille Ariſtarchus, (qvi tam auſterè ſingula illuſtris viri, præſertim qvæ hic è PLINIO nobis retulit, examinavit) nondum animadverterit, nihil trajici, ſed unam ſaltem literulam abjici, atqve ità legi debere: *Aqvâ foveri, in qva papav. &c.* Fomenta, lotionésq; extremorum pervigilio laborantibus & lippientibus prodesſe & ipſe qvoqve ſtatuit VALERIANUS.

(κ) *Plinius Valer.l.4,c.18.* (λ) *Nob.C.Barthius l.36. Adverſ. c.18.*

§. LXXIII. Manus igitur & pedes ſi fovendi ſunt, id tepidè qvidem fiat, & ut illi paulatim frigeſcant, non ad calorem: nam in cerebrum ſpiritus prolectari debent, non aliò diffundi, inqvit HEURNIUS (qvod tamen paulò ſeciùs in ſenibus ſe habere innuimus) præſcripta ibidem hâc ex omnibus vet. & nov. med. formulâ. Rec. foliorum ſalicis, lactucæ, nymphææ, roſarum, violarum, papaveris nigri, malvarum vel pampinorum ana. M j. florum chamæmeli, meliloti, ſummitatum anethi ana. M. ſ. calicum papaveris albi unc. Bulliant in aqvæ pluviæ partibus; adde tribus interdum unam vini, lavet, dum ſomnum captabit, pedes & manus, vaporémq; facie accipiat. HOR. AUGENIUS (μ) mirum eſſe dicit, qvod ex ejuscemodi remedio contingere ſoleat ægrotis commodum, ut ipſe ſanè nullum externis præſtantius invenerit, qvàm balneum ex dulci aqvâ præparatum, in qva decocti flores anthemidis & meliloti, & violarum cum meliſsâ (cujus vires egregiæ ſint in hoc affectu) partibus tribus.

§. LXXIV. Neq; temporis, neq; chartæ anguſtia pati voluit, ut qvæ remedia ratione cauſarum & indicantium, perſeqvi debuiſſemus, huc deſcriberemus omnia, qvæq; non foris ſaltẽ, ſed & intus præſertim asſumenda esſent: qvalium formulas non modò HEURNIUS (ν) prolixè ad ſingulas penè circumſtantias & caſus, ſed et plures alii, qvos jam laudabimus, inibi exhibuetunt,

(ν) Heurnius c. 19. de cap. morb. Frid. Hildesheim ſpicil. 4. Petrus Foreſtus obſervat. 35. & 36. l. 10. de cereb. morb. Herc. Sax prælect. pract. part. 1. c. 10. & pr. med. lib. 1. c. 9. (μ) Hor. Augen. epiſt. 7. lib. 5. Jac. Hollerius 1. de morb. int. c. 9. lib. 2. de febrib. Guilh. Rondeletius in meth. cur. morbos c. 17. And. Chriſtianus enchir. med. l. 3. ſect. 2. c. 12. Roder. Foſeca Ulyxiponenſ. conſ. med. 39. J. Jac. VVecker antidotar. p. 276. & 585. Nic. Maſſa epiſt. 3. J. Paul. Pernumia de cu

§. LXXV. Brevisſimè cũ SENNERTO, HOLLERIO & HEURNIO anacephalæoſin proponamus. Tribus opus eſt ut qvis placidè dormiat: (ξ) cerebro temperato, vapore benigno & animo qvieto: qvæ ſi contra ſe habeant, neceſſe eſt adesſe vigilias. Prout GALENUS qvoq; (ο) tres vigiliarũ cauſas asſignavit: calorem, ſiccitatẽ & dolorem: qvibus perveſtigatis & diſcriminatis totidem contraria remedia opponenda, refrigerantia, humectantia, anodyna. Qvæ refrig. & humectant, partim asſumuntur, partim admoventur. Admovenda priùs ſunt linimenta, frontalia, cataplasmata, lotiones partium inferiorum, ſuffitus, errhina. Deinde asſumuntur intus ſorbitiones ut hordeata, amygdalata, additis ſeminibus frigidis lactuc. portul. melon. cucurb. aut papav. albi ana ſcrup. ij & horâ ſomni vel mediâ nocte, ſi ſomni difficultas ſvaſerit, exhibendæ: potiones etiã hypnoticæ ex decocto ſeminũ jam laudato, in qvo diſſolvantur ſyrupi papav. nenuphar. violac. diacodium ſine ſpeciebus, & tandem ad opiata inſurgitur. (π) Remotis qvippe ſenſum excitantibus, & invitatis illum tranqvillantibus, exhibenda illa, qvæ calidos ſiccos, & acres vapores temperant, & ſvaves anathymiaſes in cerebrum mittant, ſpiritus animales ſopientia ac torpidos reddentia, qvalia ſunt ὑπνωτικὰ, & his nil proficientibus ναρκωτικά.

(ξ) Heurnius ad 1. aphor. Hipp. l. 2. & c. 19. l. de morb. cap. (ο) Galenus l. 3. de cauſ. pulſ. citante & re-ligva ſubjiciente Jac. Hollerio l. 2. de morb. intern. cum præſid. formulis pag. 51. 52. 53. (π) Sennertus inſtit. lib. 5. part. 2. ſect. 3. cap

§. LXXVI. Qvæ ipſa anodyna occaſionẽ credo præbuiſſe, ut addito articulo barbaro, Chymiatri Laudana ſua opiata effingerent & nominarent qs. L' anodyna, niſi inde ducta dictaq; credas, qvod Ladanũ Cyprium mulentur, nam qvod ab effectibus inſignibus laudatũ putant appellatũ parũ eſt, tametſi nihil ferè laude digni ſine illo videantur poſſe efficere. Unde panacæã, nepenthesq; ſuum, extremã ſalutis anchorã, & Ambroſiam narcoticã ad omnis generis dolores à qvacunq; cauſa ſopiendos & ſomnũ accerſendũ præclarè facientẽ, invocârunt. Cujusmodi qvidem poſt Paracelsũ OSW. CROLLIUS, QVERCETANUS & qvi ex utroq; tutiſſimã & maximè proficuam nobis olim dabat deſcriptionẽ ZACH. BRENDEL ut & N. ABR. FRAMBESARIUS, exhibuere. Qvàm timidè verò veteres GALENUS, ALEX. TRALLIANUS aliiq; diacodion, philoniũ aliaq; opiata propinarint, notum eſt. Qvare vel adhuc cautio adſit, ut narcotica dentur viribus validis & calido ſemper ægro, & cùm cætera fruſtrà ſunt, & à tenui cena qvinq; horis pòſt, neve pueris niſi in extremo periculo, his enim memoriam affligit, nec catarrho implicitis, aut ventriculo qvi frigido, nervoſisq; partibus periclitantur, propinentur.

§. LXXVII. ſed manum tandem de tabulâ! & ut cæpimus, abrumpamus, memores moniti, qvod VALLERIOLA inculvavit: Intenti igitur in id omnes eſſe debemus, qvibus valetudinis cura cordi ſit, ne nos vigiliis conficiamus, neve aut ſtudiorum amore, aut rei augendæ nimiâ cupiditate plus æqvo vigilantes, unà cum vigiliâ vitam perdamus, nec qvod lubentes facimus, diutiùs facere non poſſimus.

PROBLEMA: *Num liceat meridiari, nec ne? num poſt, vel ante cibum?*